BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
68
13 G
42

Digitized by Google

Digitized by Google

68-13-G-48

DE LIBERO ARBITRIO ET MERITIS BONORUM OPERUM

Aſſertio Catholica:

Ad GREGORIVM XIII. Pont. Max.

Authore R.mo P. F. C. de Capite Fontium, totius ordinis Minorum generali Miniſtro.

Ex epiſtola ad Lectorem, quæ ex hoc libro & quanta expectanda ſint, intelliges.



VITTORIO EMANUELE BIBLIOTECA IN ROMA

ROMAE,

Apud Hæredes Antonij Bladij Impreſſores Camerales. M D LXXVI.

BEATISSIMO

PATRI

ET SANCTISSIMO

D. GREGORIO XIII.

PONTIFICI MAXIMO.

INTER errores, Gregori Pont. Max. & piiſsime, quibus hoc infelici ſæculo ad hominum perniciem antiqui ſerpentis malitia tecto & occulto furore graſſatur, peruerſiſsimi ac periculoſiſsimi ſemper ij mihi uiſi ſunt, quos à callidiſſimis miniſtris ſuis Luthero, Caluino, Beza, cæteriſq. eiuſdem farinæ pſeu-

doprophetis, contra liberum arbitriũ ac bonorum operum merita, ab inferis excitatos aut certè reuocatos, inuito reluctantiq. orbi Chriſtiano diabolus conatur obtrudere. Quid enim ad Chriſtianam religionem funditùs euertendam his duobus dogmatibus efficacius? Quid ita nõ ſolùm à bonorum operũ ſtudio reuocat ac retrahit, uerùm etiam ſummam peccandi licentiam ſubminiſtrans, homines alioqui in uitia ſatis pronos, laxatis habenis in omnium flagitiorum ac ſcelerum genera præcipitat? Olim ſiquidem antequã huius peſtilẽtiſsimi erroris hydra multorum pectoribus illaberetur, facilè coërcebatur improbitas, cùm hinc pręmij ſpes ſtudium uirtutis accenderet, inde ſupplicij metus cupiditatẽ ad peccata currentem refrenaret: nunc autẽ ſublato ab hæreticis liberæ uoluntatis arbitrio, quid aliud reſtat, niſi ut fractis omnibus modeſtiæ repagulis, homines

mines tanquã brutæ pecudes in omnia peccata & crimina cõcitatiſsimè rapiã tur? hinc latrocinia, cædes, ſacrilegia, ſeditiones, reipub. tempeſtates atque naufragia, cæterorumq. malorum, quibus orbis urgetur & premitur, lerna, quæ ex hæreſi nata, & in bonorũ adulta perniciem, ad Chriſtianæ religionis interitum & fidei euerſionẽ haud obſcurè graſſatur. Quid enim nobis cum operibus bonis, ſi nullum iis pręmium, nulla merces propoſita eſt? Imò uerò ſi illa nobis, ut aduerſarij garriunt, non ſolùm inutilia, ſed etiam impoſsibilia, inimica, pernicioſa ſunt? Quod autem iudicium de hominum operibus relinquitur Deo, ſi ij liberum non habent arbitrium? Obiectũ enim iuſtitię diuinæ exercẽdæ liberum arbitriũ eſt, quo qui carent, neque bene neq; malè operari poſſunt, neque mereri aut commereri, neq; quicquam laude uel præmio, uituperio uel ſupplicio dignũ admit-

tere queunt. Non patent iudicio aut examini cuiuſquam iudicis cæterorum animantiũ opera, quoniã abſq; libertate, deliberatione, conſilio facta ſunt, ſolius hominis libero uoluntatis arbitrio prędití opera, Dei iudicio ponderantur, & aut ſupplicio aut præmio digna cenſentur. Quòd ſi is, quemadmodum reliqua animantia, libero careret arbitrio, iuſtitiæ Dei obiectum nullo modo poſſet eſſe. Otioſa enim & uana eſſet quodammodo Dei iuſtitia, ſi obiecto careret. Quæ autem neceſsitate agũt, in diuinæ iuſtitiæ leges impingere nulla ratione poſſunt. Tollit ergo & diuinã iuſtitiam & religionem omnem atque pietatem peſtiferum iſtud de ſeruo arbitrio dogma. Adeò ſiquidẽ colligata inter ſeſeque connexa ſunt hæc axiomata, diuinam eſſe prouidentiam, quæ iure & iuſtè res humanas regat, hominem libero arbitrio præditum eſſe, animam rationalem eſſe immortalem,

Deo

Deo ſincera religione adhęrendũ eſſe, pié & iuſtè eſſe uiuendum; è quibus ſi unum ſuſtuleris, reliqua corruãt neceſſe eſt. Quare dum diabolus per ſuos miniſtros deblaterat, homines liberum arbitrium non habere, quibus hoc perſuaſerit, ij cõſequenter credant neceſſe eſt, religionem omnem eſſe uanam ac ſuperfluam, non eſſe expectandam aliam uitam, animam eſſe mortalem. Antiqua ſententia eſt: Nemo repentè fuit turpiſsimus. Quemadmodũ enim ad uirtutis faſtigium nullus repentè cõſcendit, ita paulatim per gradus quoſdam ad impietatis ima deſcenditur. Proinde qui deſertis Eccleſiæ caſtris ad hęreticorũ conuenticula deficiunt, ex Chriſtianis Epicurei repentè non fiunt. Prior enim Lutheri occurrit inſania, hinc in Caluini furorem, inde in atheiſmi barathrũ, de calcaria ſcilicet in carbonariam præceps impietas ruit. Sed dicet aliquis: Aduerſarij ſacræ ſcri-

pturæ auctoritatem opponunt, quaſi li berum arbitrium cum diuinæ prouidentiæ ueritate ſtare nõ poſsit. Proinde atque eodem argumento, neque Deum ipſum, neque angelos arbitrij libertatem habere credemus. Conſequens eſt igitur iuxta iſtorum inſaniã, nihil uſquam contingenter agi, ſed fatali Stoicaq. neceſsitate cuncta euenire. Ad hęc nullam eſſe uirtutem, non ſolùm in hominibus, ſed ne in Deo quidem. Nihil eſſe beatum, ne Deum quidem ipſum, ſed omnia triſti obſcuraq. miſeria tegi, inuolutaque latere. Quare qui liberum arbitrium negant, tandem Deum ipſum fati neceſsitate conſtrictum, è cælo deturbare conantur. Sed non eſt mihi propoſitũ in præſentia uultum draconis euoluere, neq; quantæ ſub hoc errore blaſphemię lateant, epiſtolæ breuitate oſtendere. Fecimus hoc alibi, & ſcorpios ſub illis lapidibus latitantes non ſolùm extraximus,

mus, uerùm etiam artem certamq́. rationem, qua facilè à quouis extrahi atque obteri poſsint, pluribus uerbis, digitoq́. monſtrauimus.

Quid autem dicam de iſtorũ, qui liberum arbitriũ negãt, impietate, cum ſingulari & in Deum ingratitudine, & in homines crudelitate coniũcta? Certè hæc etiã tacentibus nobis ſeſe ultrò ſatis oſtẽtat & iactitat. Quid enim aut quale eſt illud, quod iſti uſqueadeò nobilem orbis ciuem, qualẽ Deus hominem fecit, uile mancipium, cunctiſq́. creaturis miſerabiliorem facere conantur? Cùm enim illum hac ſpoliant libertatis arbitrij ingenuitate ac nobilitate, quid illi relinquũt, in quo cæteris animantibus antecellat? Diſpeream nime truncum aut ſtipitem creatum malim, qnàm hominem, ſi libero carerem arbitrio, iiſque quæ illo poſito conſequuntur, humanæ nobilitatis priuilegiis. Iam enim unde prodibit hominis

uirtus?

uirtus? unde futurus eſt aliquando beatus, ſi libera caret uoluntate? Quando quicquam facturus eſt laude uel uituperio dignum? Cur ullis legibus coërcetur, imò diſcruciatur potius quàm cætera animantia? Cur aut minis deterretur, aut promiſsis allicitur, ſi libero caret arbitrio, & ad maiora bona deſtinatus non eſt, quàm ad hæc corporalia & fugientia, quæ brutis animãtibus nobiſcum cõmunia ſunt, quibus illa æquè ac nos, imò liberius quàm nos, utũtur, potiuntur, fruuntur? Quid ſibi uolunt tot exhortationes, deliberationes, conſilia, prædicationes, iudicia, leges, edicta, ſi nihil homines facere poſſunt, niſi fati neceſsitate compulſi? Omnia uana, inutilia, ridicula ſunt, ſi liberum tollas arbitrium. Quo ſublato, quid aliud reſtat, niſi ſcelerum omnium impunitas, cuius uel ſola ſpes, maxima peccandi illecebra eſt? Qua ſemel propoſita, quid erit tutum in rebus humanis? Re-

ctè

ctè igitur maiorum ſententia, legibus præmia propoſita ſunt uirtutibus, & ſupplicia uitiis. Neque enim domus, neque reſpub. ſtare poteſt, ſi in ea nec rectè factis præmia extent ulla, nec ſupplicia peccatis. Ceterũ quid ei facias, qui dicat ſe neceſsitate, non uoluntate peccaſſe? imò ne peccaſſe quidem, ſed ſe à Deo in omne flagitiorum ac ſcelerum genus impulſum? O portentum in ultimas terras deportandum!

Quid dicã de altero dogmate, quod aduerſus bona opera, Lutheri ſymmyſtarũmque illius confinxit impietas? Quem errorem quo nomine appellem neſcio, peſtémne, an inſaniam & furorem? Non patitur epiſtolaris anguſtia, me aduerſus tam ſacrilegam impiamq́. ſententiam rhetoricum iactare ſermonem. Illud tantùm dicam, hoc uno decreto atq; ſententia, non ſolùm omnes neruos uirtutis elidi, uerùm etiam hominem, ut ita dixerim, ex homine tolli,

omni-

omniq. humanitate ſpoliatum, cunctis leonibus ac pantheris crudeliorem,im maniorem, truciorem fieri. Quid non mortalia pectora cogit execrabilis iſta doctrina? Quis amaros eius fructus recẽſere ſufficiat? Quas ſeditiones,quos tumultus, quæ bella, quas hominum ſtrages,quot homicidia,parricidia, fratricidia, ſacrilegia,furta, rapinas,adulteria, inceſtus, & quid non malorũ inuexit in orbem noua hæc Lutheranorũ & Caluiniſtarum falsò uocata religio? Res ipſa loquitur, etiamſi homines taceant.Nõ poterat alia uia pernicioſius ad totius generis humani, non dicam Chriſtianorũ tantùm, perniciem graſſari hoſtis antiquus,quàm hęc falſa dogmata contra liberi arbitrij ueritatem, & bonorum operũ merita hominibus obtrudendo. Certè de iis, qui illi crediderint, iure dixerim illud Pſalmiſtę: Homo cùm in honore eſſet, non intellexit,comparatus eſt iumentis inſipientibus,

tibus, & ſimilis factus eſt illis. Ex hominibus enim in immundos uertuntur Epicuri de grege porcos, ut nihil ultrà de pietate, nihil de Deo legibuſq. diuinis, nihil denique de hominis officio & dignitate, ſed de ſolo uentre, ſuę nobilitatis obliti, imò ab hæreſi, tanquam ab altera Circe transformati cogitandum ſibi exiſtiment.

Quanta autem iſtorum ingratitudo in cõditorem Deum ſit, quis exponat? Quod enim maius beneficiũ in hominem conferri potuit, quàm hoc unum atque præcipuum, quòd illum artifex Deus ad imaginem & ſimilitudinem ſuam fecit, paulo minus ab angelis differentem, gloria & honore coronatum, omnia ſuis ſubiecta pedibus habentem, id eſt dignitatis & excellentiæ gradibus ſupra cæteras corporeas eleuatũ & exaltatum creaturas? Huius autem tanti beneficij magnitudinem iſti ingrata ſua impiaq. lingua, quantum

in

in ipſis eſt, extenuant, hominemq́. ex ſupremo imperij ſui throno deturbantes, illum cunctis ſubiiciunt creaturis, inferioremq́. conſtituunt, & ex nobiliſsima, libera, ingenua creatura uilem ſeruum miſerumq́. mancipium faciunt. Non habet totum hoc uniuerſum uiſibile liberum ullum ingenuumq́. ciuē, præter unum hominem. Quæcunque enim alia in eo cernuntur, aut ſeruili conditione nata ſunt, aut naturæ ſuæ legibus ita obtemperāt ac ſeruiunt, ut nō ſponte, ſed neceſſariò in ſuos actus exeant, imò potius agātur, quàm agāt. Vnus homo priuilegij ſingularis gratia, libertate donatus & ornatus eſt à Deo, qua una re & longiſsimè à reliquis creaturis diſtat, & ad diuinæ naturæ maieſtatem proximè accedit. Quæ cùm ita ſint, quis aduerſariorum impiam ingratitudinem nō iure miretur? Qui ubi ſe ingenita ſibi libertate & nobilitate ſpoliarunt atque priuarunt, in

uni-

uniuer[illegible]m hominum genus crudeliter ſæuientes, omnes alios cunctis ornamentis omniq. dignitate ſpoliatos, in idem perfidiæ barathrum atq; in eundem interitum ſecum præcipitare conantur. Tantum abeſt, ut Dei beneficium agnoſcant, ſuoque creatori, ut æquum eſt, gratias agant. Callidi nimirum homines ſoli perire nolũt, ideoq. ut lucroſius pereant, erroris ac perfidię comites quærunt. Sed hæc illorum ingratitudo fortaſſe leuior eſſe uideatur. Benefactori ſiquidem Deo, quemadmodum rectè ait Auguſtinus, etiam omnis gratus ingratus eſt. Quale autẽ illud eſt, quòd iſti nimirũ religioſi homines pro gratiarum actione in Deum blaſphemias euomunt, dum illum peccati auctorem faciũt, dum homines ab illo in adulteria, furta, rapinas, ſacrilegia, latrocinia, cædes, denique in omne flagitiorum ac ſcelerum genus impelli, dum proditionem Iudæ non mi-

nus

nus quàm conuerſionem Pau. opus Dei eſſe impudentiſsimè mentiuntur? Pro nefas, tantum ſcelus, imò ſacrilegium noſtro ſeculo natum eſſe! O linguam morſu præcidendam, quæ ita in ſuum latrat auctorem!

Sed iſtorum ingratitudinem cũ ſingulari impietate, mendacio, inſania, furore coniunctam, miſſam aliquando faciamus. Illud ſanè mirum eſt, imò uerò aduerſariorum cæcitatem, furorem ac ſtuporẽ meridiana luce clarius oſtẽdit, quòd pertinaciſsimè negant ſe id habere, quod experientia, rerum magiſtra, eos, uelint, nolint, habere paſsim arguit atque conuincit. Quid enim ſingulis horis atque momẽtis? Nonne ijs ineſſe arbitrij libertatẽ perſpicuè demonſtratur? Non enim igne & aqua, ut dicitur, ſępius, quam libero utuntur arbitrio. Quæ cùm ita ſint, quis non cæcos & dementes, imò furore & rabie percitos homines iſtos dixerit? Quis

non

non propter ingentem impietatem ſuã
ingratitudinemq́ue,in quo uitio, ut ait
eximius orator,nihil mali nõ ineſt, de-
relictos à Deo, atq. in reprobũ ſenſum
traditos eſſe perſpiciat? Ego certè ſce-
leſtũ hoc hominũ genus mõſtra dixiſſe
debuerã, ita deteſtor,abominor & exe
cror,ut in uiliſsimas beſtias conuerten
dos mutandoſq́. eos eſſe exiſtimem,do
nec recuperata mente, ipſa tandem ex-
perientia diſcant,quantum inter homi
nem interſit & beſtiam. Certè hominũ
nomine prorſus indignos eſſe pronun-
cio. Cũ huiuſcemodi beſtiis ſæpius mi-
hi certandũ pugnandũq. fuit in noſtris
Galliis,donec tandẽ offerente ſeſe oc-
caſione cuiũſdã epiſtolæ à quodam iu-
riſconſulto Caluiniſta fratri ſuo germa
no ſcripta, qua illi ſuadebat, ut deſer-
ta Romanæ eccleſiæ fide, in Caluini ca
ſtra tranſiret, propterea quòd multa,
ut ille dicebat, uerbo Dei contraria in
catholica eccleſia docerentur, qualia

ſunt, homini liberum ineſſe arbitrium, opera noſtra eſſe meritoria, per eaq. nos æternam aſſequi uitã. quæ omnia falſa eſſe, multis ex Lutheri Caluiniq. libris ſcripturarũ teſtimoniis & argumẽtis hinc inde corraſis, impiũ dogma conabatur aſſerere. Ita dum illi contentioſum funem trahunt, rogatus ab eo, qui catholicæ eccleſiæ alumnus, Caluini deteſtabatur errorẽ, librum contra fratris eius epiſtolam ſcripſi, quo hinc
Rom. 1. eccleſiæ Romanę fidem Apoſtoli uoce laudatam, de libero arbitrio, & meritis bonorum operum aſſererem atque defenderẽ, neq; ſolùm diuinis literis, uerùm etiã orthodoxorum patrum auctoritati naturaliq. rationi & experientiæ conſentaneã atque cõformem eſſe; inde uerò illius dogmata cũ ſacra ſcriptura, orthodoxorũ patrum decretis atque ſententiis, ipſaq. ratione & experientia pugnare monſtrarem. Quod quàm feliciter præſtiterim, aliorũ eſto

iudi-

iudicium. Certè rem alioqui difficilē & obſcuram, hæreticorū quæſtionibus & argutiis intricatam atque inuolutā ita explicaui, ut omnibus facilè ſit de tota iſta cōtrouerſia iudicare; & quàm ſancta, uera & ſalutaris ſit eccleſiæ catholicæ doctrina, nō difficulter intelligi poſsit. Is aduerſus quem ſcriptus eſt liber, teſtis eſt locupletiſsimus; qui dū lucubrationem noſtram, ut reprehenderet, noſtriſq. argumentis reſponderet, ſtudioſè legit, ab errore conuerſus, ad eccleſiæ catholicæ, quam antè temerè deſeruerat, gremium rediit, fidemq́. quam non ſolùm cōdemnabat, uerùm etiam oppugnabat, mutata ſententia profeſſus eſt & amplexus. O magna uis ueritatis! quæ nullis machinis, nullo cuiuſquā hominis ingenio aut arte ſubuerti potuit; quæ tametſi callidiſsimorum hominum depreſſa mendaciis, aliquando tamen emerſit, eūq. à quo prodita uidebatur, uictum ac re-

tractum, non modò ſibi manus dare coëgit, uerum etiam ſanum in eccleſiæ catholicæ caſtra perduxit.

Hic autem liber primũ Gallica lingua ſcriptus eſt, ſicut & epiſtola, quam refutat. Poſtea cùm hinc non paucos qui rectè, ut ueritatis ratio poſtulat, de his dogmatibus non ſentirent, ubique gentium eſſe animaduerterem, inde ex multorũ relatione quàm plurimos ex libri noſtri lectione, in uera fide confirmatos, non ſolùm meliora de Deo & homine ſentire cœpiſſe, uerùm etiã ad Deum ardentiùs amandũ, dum ſui generis nobilitatem, quantam à Deo accepiſſent, ex eo perfectiùs didiciſſent, uehementiùs accenſos & inflammatos eſſe intelligerem, rogatus à multis, Latinum quoque in lucem edere operæpretium duxi, ut non ſolùm Gallis noſtris, uerùm etiam cæteris nationibus prodeſſe poſſet. Cùm autem in arenam proditurus eſſet aduerſus tam immania

mon-

monſtra dimicaturus, egeretq́. patro-
no atq; protectore,ſub cuius fauore au
daciùs cum tam feris & crudelibus be-
ſtiis confidentiuſq́. pugnaret, non oc-
currit cui melius dedicari poſſet aut tu
tius, quàm tu Gregori Pont. Max. Nã
ſi exactiſsimo illo ſanctitatis tuæ iudi-
cio comprobatus,ad tam ſacrum bellũ
admiſſus fuerit, non erit, cur quenquã
alium uereatur ac timeat.Irrefragabilẽ
enim eum habere ueritatẽ, quæ omnia
uincit, hinc facilè quiuis intelliget.
Duabus autem præcipuè de cauſis ſan-
ctitati ſuæ dedicatum uolui. Primùm
quia tu eccleſiæ Romanæ, quæ uera
Chriſti eccleſia eſt, pro cuius defenſio-
ne in lucẽ prodiit,gubernandæ,ad hoc
uelut alter Aaron à Deo uocatus, uice
Chriſti præes. Deinde ut ſuſceptorum
à ſua S.te beneficiorum memoriã apud
me reſidere intelligat,meq́. meo & to-
tius gregis Franciſcani mihi cõmiſsi,
cui ſemper impẽsè fauit, ac in hodier-

num uſque diem magis magiſq. fauet, nomine illi gratias agerem, teſtatumq. apud poſteros relinquerem, quantum ego & pueri mei mecum, id eſt, pauperes mei fratres, iuxta patris noſtri Franciſci mandatum, huic ſedi dediti ſimus, iiſq. qui in ea ſedent, obedire parati, ut pedibus eccleſiæ Romanæ ſubiecti, ſtabiles in fide catholica ad mortem uſque perſeueremus.

In ſanctitatis autē ſuæ laudes excurrere hinc deterret rerum, quæ dicendæ eſſent, maieſtas, quas oratione conſequi, ne dicam explicare, etiam ſummi oratores nō ſufficerent. Inde urget ad finem epiſtolaris anguſtia & breuitas. In ingentem enim excreſceret librum, quæ hac de re ſcriberetur oratio, ſi cū tuis meritis atque uirtutibus ex æquo & pari certare uellet. Hoc tamen unum ſilentio præterire nō poſſum, feliciſsimam eſſe Rempub. Chriſtianam, cui contigerit hoc turbulentiſsimo ſeculo

talem

talem habere Pontificem & rectorem tot nominibus inſignem, quem pietas eximia cum ſummo rerum uſu, experientia ſingulari, prudentia exactiſsima iudicioq́. coniuncta adeò exornat, ut quid primum in te miremur, difficile dictu eſſe uideatur. Certè quæ in futuro Pontifice magnus ille Baſilius deſiderat, nimirum ut antè quàm ad tāti muneris culmen aſcēdat, in minoribus atq; inferioribus probatus officiis, prudentiæ uirtutiſq́. ſuę experimentum ac ſpecimen dederit, multoq́. rerum uſu ſibi iudiciū compararit. Et ut in naui, cui Eccleſia meritò comparatur, nullus in gubernatorē cooptatur, niſi regendæ nauis artem ac ſcientiā longa experientia multiſq́. periculis cōſecutus; ita S.tas tua ad eccleſiæ Chriſtianæ gubernacula uidetur acceſsiſſe, non hominū ſuffragiis cooptata, ſed Eccleſiæ data diuinitùs, ut inter huius ſeculi tēpeſtates, & multorū crebra naufragia, illam

ſapientia ſingulari in portum ſalutis ac uitæ ſanam integramq́. perducas. Quæ enim ſingula miramur in cæteris, ea omnia in te uno cumulatiſsimè cõgregata ſuſpicimus. Eò fit, ut quacunq; de re ſua S.[tas] conſulatur, in promptu ſemper ſit, quod reſpõdeat, ut uidere mihi uidear nõ hominem, ſed oraculum aliquod diuinum in ea Dominum Deum eccleſiæ ſuę periclitanti prouidiſſe, qui inter uiolentos huius ſęculi fluctus, beati Petri nauem tot procellis ac turbinibus agitatam ſua ſapientia, conſilio, diligentia, conſtantia, uirtute ſeruaret. Mirum autem in modũ omnibus illam commendat illa ſua cũ pontificia maieſtate iuncta facilitas & humanitas, qua benignè cunctos audit atq; ſolatur, & quæ petunt, liberaliter cõcedit. Quam cùm ego toties, ex quo tẽpore ſum in urbe, fuerim expertus, toties ab ea patienter auditus, tot impetratis fauoribus, tot ſuſceptis beneficijs, fecit illa

tua

tua humanitas, ut hunc meũ laborẽ illi offerre & dedicare nõ dubitem. Accipiat ergo placidè munuſculum iſtud, quod illi offert curta noſtra ſupellex, ut aliis maioribus iunctũ, aliquid iuuet ad ſarta tecta domus Dei cõſeruanda, & ab inferorum iniuriis defendenda. Exiguum munus adfero, fateor, ſed ſi uoluntas & zelus domus Dei, ex quo profertur, attendit S.tas ſua, magnũ profectò reputabitur ab eo, qui nõ tanti facit quod datur, quanti animum ex quo datur. Amando enim eccleſiã Romanã, & eius zelando fidem, nemini ceſſero. Acceptabat quódã Moſes pro tabernaculi Dei ędificatione à diuitibus æs, aurum, argentũ, lapides pretioſos, ſed pauperum pilos caprarum offerentium munuſcula non repudiabat. A ſua igitur S.te nõ ſolùm magna & pretioſa, ſed etiam omnia quæ ad eccleſiæ Dei ędificationem uel defenſionem facere poſſunt, Chriſti, cuius ſucceſſor & imi-

tator

tator eſt, exemplo, qui pauperculæ uiduæ munuſculum commendauit, gratumq́. habuit, acceptanda non dubitãs, quod habui, prompto animo dedi, maiora Deo iuuante daturus, ſi hęc ſuæ S.ti grata fuiſſe intellexero, dummodo tempus & otium ſuppetierint. Ego autem interim Deum Opt. Max. nunquã orare ceſſabo, ut cum commiſſo ſibi Chriſti regno & grege, qui tã feliciter & ſecurè ſub tanto paſtore æternæ uitę paſcuis fruitur, illã nobis incolumem ad multos annos ſeruare dignetur.

Vale S. P. felix diuque. Romæ ex conuentu Aræ cæli, III. Calend. Iulij, diuis Apoſtolorum principibus Petro & Paulo ſacro die, Anno Chriſti 1575.

Sanctitatis ſuę obſeruantiſsimus filius ſeruuſq. humillimus

F. C. de Capite Fontium generalis Miniſter indignus ordinis Sancti Franciſci.

AD

AD LECTOREM.

QVAENAM huius libri ſcribendi cauſa fuerit, ab initio te, amice Lector, admonendum putaui. Hoc enim ad totius operis intelligentiam plurimum conferet. Scripſerat quidam Iuriſconſultus Caluiniſta, homo non illiteratus, ad fratrem ſuum germanum, virum pium, & in catholica fide ac religione conſtantiſsimum, epiſtolam; qua illi perſuadere conabatur, vt Eccleſiæ Romanæ fidem deſerens, in Caluini caſtra transfugeret. Summa eorum quæ illa epiſtola continebat, hæc erat: ſe fratris ſui, qui omnem lapidem mouebat, vt illum errantem in viam reuocaret, conſilium libenter amplexurum, & ad catholi-

cam Eccleſiam rediturum eſſe, ſi ſibi planum fieret, ea quæ Romana tradit eccleſia, verbo Dei & ſcripturæ ſanctæ auctoritati non repugnare. Sed quoniã ſibi conſtaret id aliter ſeſe habere, debere illũ potius à Romana eccleſia deficere, atque ad Euangelicorum, ut ille dicebat, qui verbi Dei auctoritate niterẽtur, gregem tranſire: non eſſe dubium, quin eccleſiæ Romanæ doctrina cum uerbi Dei veritate pugnaret. Id cùm ex alijs multis, tum uerò ex his duobus dogmatibus, homini liberum arbitrium ineſſe, & bona opera eſſe meritoria, adeò ut per ea ſempiternæ vitæ præmium conſequamur, luculenter oſtendi. Proinde ſe illa duo interim oppugnanda ſumpſiſſe, reliqua in aliud tempus differre. Cæterum vt ſuam ſententiam

*tiam confirmaret, è Lutheri Calui-
niq; libris, ex quibus hæretici erro-
ris venenum hauſerat, multa ſcriptu
rarum teſtimonia, nec minorem ar-
gumentorum aceruum, quibus ſe nõ
modò liberum uoluntatis arbitrium,
uerùm etiam bonorum operum me-
rita euertere poſſe conſideret, hinc in-
de conſarcinatum in vnam contruſit
epiſtolam: quam ſibi redditam ille
in orthodoxa fide conſtans & immò-
bilis, ad me, quem paulò ante concio-
nantem audiuerat, attulit. Et quo-
niam illi multiſque alijs noſtra proba
batur oratio, qua confutato aduer-
ſariorum errore nobis liberum ineſſe
arbitrium cùm ſcripturæ ſanctæ au-
ctoritate, tum multis orthodoxorum
patrum teſtimonijs atque ſententijs,
ipſaq́ ratione & experiētia perſpicuè*

oſten-

oſtenderam, pluribus verbis rogauit, imò contendit, vt & impiam illius epiſtolæ vanitatem euangelica veritate, genuinaque ſententiarum, quas de ſcripturis ſumptas, ad impij dogmatis confirmationem ſubdolus ſcriptor hæretica fide ingenióque detorſerat, interpretatione contererem, & erranti fratri, quo nihil ſibi carius eſſe dicebat, ſuum periculum oſtendens, eum in viam ſalutis ac vitæ pro mea mediocritate reuocarē. Quòd cùm Chriſtiano homine meáque profeßione dignißimum officium eſſe iudicarem, quod illius à me candor ac pietas requirebat, ſimulatque otium ſuppeteret, me facturum recepi: idq; hoc ſanè libentius ac promptius, quòd illius frater, quem hæretici in ſuum errorem factionemque pellexerant, ſi ma-

niſeſtis

niſeſtis ſcripturæ ſacræ teſtimonijs doceri poſſet, hominibus liberum ineſſe arbitrium, ſe ad Eccleſiæ catholicæ, quam deſeruerat & tum oppugnabat, caſtra rediturum eſſe pollicebatur. Itaque ſucciſiuis operis inter quotidianas, quas ad populum habebam, conciones, cœpi futuræ reſponſionis materiem cædere, quæ tã copioſa ſeſe obtulit, ut epiſtolaris anguſtiæ modũ egreſſa, in iuſtum uolumen excreuerit, non quòd difficile uideretur, ſtultiſsimũ dogma paucioribus verbis refutare, ſed ut vultũ draconis euoluerem, & abſurda impietate, blaſphemia, furore, dementia, quæ ex his erroribus uniuerſa naſcuntur, digito demonſtratis, renaſcentia hydræ capita ueritatis enſe truncarẽ. Ita longius aliquãto quàm initio putaram,

euectus

euectus ſum. Nec enim meo ſtudio fraternæq; ſalutis deſiderio, ſatis fuit, infructuoſæ arboris radici admouere ſecurim, niſi præpoſteram aduerſariorum, quibus ne ſoli pereant, inprimis propoſitū eſt circumuenire quàm plurimos, diligentiam meo labore ſtudioq́; ſuperarem. Vt enim illis familiare eſt, in vna epiſtola, concione, vel diſputatione, quicquid ſcire videntur, effundere, omniumq; errorum ſuorum capita proponere, vt illis reſpondere non modò longum, ſed etiam difficillimum eſſe uideatur; ita nobis elaborandum fuit, ne illorum ſubdola calliditate, noſtra vinceretur induſtria. Proinde ne illi ſuo more ſolitoq́; artificio vociferarētur atque perſtreperent, aliquid à nobis in noſtra reſponſione prætermiſſum eſſe, quaſi il-

lud

lud non auderemus attingere (hoc enim aduerſarij facere cõſueuerunt, ne, ſi garrire deſinant, uicti fuiſſe videantur) intra quindecim dies ita hunc librum elucubrauimus, ut nihil ab aduerſario poſitũ eſſet, quod non à nobis diligenter expenderetur. Nam cùm ille primo loco liberum oppugnaret arbitrium, ut illius uenenum noſtra ſequeretur antidotus, antè omnia eius errori non ſolùm vnum & triginta clariſsima ſacræ ſcripturæ teſtimonia, verùm etiam orthodoxorum ſanctorûmque patrũ tam Græcorum, quàm Latinorũ totidem ſententias, ad hæc multas variáſque rationes, quibus omnibus liberum arbitrium perſpicuè demonſtratur, opponimus. Hinc ordine ſequitur declaratio abſurditatum & blaſphemiarũ

in Deum, quæ ex illius erroris corrupto fonte manant & profluunt. Exinde omnibus aduerſarij argumentis, imò ſophiſmatibus confutatis, quæ etiam in illum retorſi, certas regulas rectè interpretandi verbum Dei expoſui, ad quas tanquam ad Lydium lapidem ſiquis aduerſariorum propoſitiones atque ſententias examinare voluerit, quàm horrenda impietatis, hæreſeos, blaſphemiarum ex illis portenta naſcantur, intelliget. Ita non modò rectè de hac tota controuerſia iudicabit, verùm etiam omnes quæſtiones ac difficultates, quæ in hac materia obiici poßunt, facilè ſoluet ac diluet.

In altera verò controuerſia de meritis bonorum operum, ne quid deſideraretur à nobis, ad eundem modum

dum elaborauimus. Illius autem Iuriſconſulti, noſtri tum antagoniſtæ nomen ſupprimendum putaui. Rediit enim is ad ſanam mentem, & ex aduerſario noſter; id eſt, catholicus factus eſt. Fratris autem eius in hac noſtra reſponſione perſonam indui. Nullus enim Dei beneficio germanus mihi frater eſt, qui aut vnquam in catholica fide vacillauerit, aut non ſit ſempérque fuerit fidelis & conſtans eccleſiæ Romanæ filius & alumnus.

Habes cauſam amice Lector, quæ poſt tam multos viros ſingulari eruditione doctrináque præſtantes, qui de libero arbitrio et bonorum operum meritis accuratè ſcripſerunt, me in hanc arenam impulit. An illorum induſtriæ quicquam adiecerim, aliorum eſto iudicium. Certè materiam

hanc alioqui difficilem & obſcuram, ac tam multis quæſtionibus intricatam, vt Labyrinthus, ex quo exitus pateat nemini, eſſe videatur, aliquanto facilius & ad vulgi captum accommodatius, quam multi alij tractatores explicuimus. Porrò quàm efficax ad perſuadendum fuerit oratio noſtra, effectus optatus oſtendit. Aduerſarius enim qui fratri ſuo tendebat inſidias, ipſa veritate conuictus & captus eſt, nobiſque ita victoriã gratulatur, vt ſe erroris gaudeat eſſe victorem. Itaque in Eccleſiam catholicam reuerſus, iam nobiſcum in eadem Petri nauicula eſt. Tanta veritatis efficacia, tanta vis eſt. Neque ſolùm iſte ex huius libri noſtri lectione profecit, verùm etiam alij non pauci, quos eo lecto hæreticum errorem abie

ciſſe

ciſſe, & ad animi ſanitatem reuerſos eſſe cognoui. Nullus certè miniſtrorum Caluiniſtarum, quod ſciã, huic operi noſtro auſus eſt reſpondere. Proinde fuere noſtro labore amice Lector, noſtrámque diſputationem bonis auibus lege, & te tui ſtudij minimè pœnitebit. Vale.

AD LECTOREM.

Hæreſeωr fraudes, ac impia dogmata, Lector
Caluini certa vis abolere via?
Alciden (cuius nitaris viribus) ecce
Mittit ἀλεξίκακον cælitùs iſte liber.
Qui validus turpem letali conficit hydram
Vulnere, ſeptenum concidit enſe caput.
Cuncta venenato vomuit quæ pectore pridem
Caluinus, pereunt robore caſſa ſuo.
Hic tibi diuinis firmantur dogmata verbis,
Quæ neget haud vllus, ſi modo mente valet.
Linguę iam ſileant ſceleratę murmura, Seruum
Audiat Arbitrium nemo, vel eſſe putet.
Non operi meritum iuſto putet eſſe negandum
Quiſquam: Caluini nemo ſequatur iter.
Sed vitium totis expellens viribus, olim
Cęleſti merito ſperet in arce frui.

PRIVILEGIVM.

GREGORIVS PAPA XIII.

Ad Futuram rei memoriam.

CVM, ſicut accepimus, dilectus filius frater Chriſtophorus de Capite Fontiū totius ordinis Fratrum minorum de obſeruantia generalis miniſter, & ſeruus, quoddam opus, ſiue libellū de libero arbitrio, & meritis bonorum operum compoſuerit, ac denique reuiderit, quod à Venerabilibus Fratribus noſtris ſanctæ Romanæ Eccleſię Cardinalibus, congregationis Indicis librorū, & Magiſtro ſacri Palatij Apoſtolici examinatum, & approbatū fuit: Nos eundē Fratrē Chriſtophorum ſpecialibus fauoribus, & gratijs proſequi uoleñ. omnibus, & ſingulis, ac quibuſcunque utriuſq; ſexus perſonis præſertim bibliopolis, & librorū impreſſoribus tam in Vrbe quā reliquis terris Sanctæ Romanæ Eccleſiæ mediate, uel immediate ſubiectis in uirtute ſanctę obedientię, & ſub quingentorū ducatorū auri Cameræ Apoſtolicæ applicañ. & inſuper amiſſionis librorum, & etiā excommunicationis maioris latæ ſententiæ pœnis, toties ipſo facto, & abſq; ulla declaratione incurrendis quoties contra factū fuerit, ne durante Decennio proximo, à data præſentium computañ. dictū opus ſine expreſſa, dicti Chriſtophori voluntate, & licentia imprimere ſeu ab ipſis, vel alijs, præterquam de eius, ut præfertur, uoluntate imprimeñ. uendere, ſeu uenale habere, aut proponere audeant, ſeu præſumant, Apoſtolica auctoritate diſtrictiūs inhibemus. Mandātes vniuerſis venerabilibus Fratribus Archiepiſcopis, Epiſcopis, eorūq;

Vicarijs

Vicarijs in ſpiritualibus generalibus, ac ipſius ſtatus Gubernatoribus, ut quotiēs pro parte dicti Fratris Chriſtophori fuerint requiſiti, uel eorū aliquis fuerit requiſitus, eidē Fratri Chriſtophoro in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes præmiſſa ad omnem illius requiſitionē contra inobedientes, & rebelles per cenſuras eccleſiaſticas, etiā illas ſæpius aggrauañ. & per alia iuris remedia dicta auctoritate exequantur, inuocato etiā ad hoc ſi opus fuerit auxilio brachij ſecularis, irritumq; & inane ſi ſecus ſuper his à quoquā quauis auctoritate ſciēter uel ignoranter contigerit attentari, decernimus. Non obſtañ. conſtitutionibus, & ordinationibus apoſtolicis, prouincialibuſq;, & ſynodalibus, ſpecialibus, & generalibus, nec non etiā iuramento confirmatione apoſtolica, uel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, priuilegijs quoque, indultis, & literis apoſtolicis ſub quibuſcunq; tenoribus, & formis, etiam motu proprio, ac alias in contrariū quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innouatis: Quibus omnibus, eorum tenores, ac ſi de uerbo ad uerbum insererētur præſentibus pro ſufficiēter expreſſis habentes, hac uice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſè latiſſimè derogamus; cæteriſq; contrarijs quibuſcunque. Volumus autem, quod harum tranſumptis, etiā in eodem opere impreſſis, plenaria, & eadem prorſus fides ubique adhibeatur, quę ipſis originalibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, uel oſtenſæ. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, Die xiij. Decembris. M. D. LXXV. Pont. Noſtri Anno Quarto.

Cæ. Glorierius.

DE LIBERO ARBITRIO ET MERITIS BONORVM OPERVM,

PER REVER.VM PATREM F.Chriſtophorum à Capite Fontium totius ordinis Minorum generalem Miniſtrum.

REDDITAE mihi ſunt tuæ literæ, mi Frater, quibus ad ſuperiores reſcribis. In iis autem cùm illud in primis tecum egiſſem, vt me quoque rogante in noſtrà caſtra redires,& deinceps in Eccleſiæ Romanæ, in qua nomen dediſti, ſuſceptoq́. Baptiſmi ſacramento factus es Chriſtianus, fide ac religione nobiſcum vnanimi pace, concordiaq́ue

Deum coleres, in iſtis literis negas id fieri poſſe, proptereà quòd fides quam in Eccleſia colimus atque retinemus, cum Dei uerbo, ut ais, pugnat, illiq́ue contraria eſt. Et ut tuam uidereris confirmaſſe ſentẽtiam inſtar eorum, qui ſibi fingunt monſtra, quæ uincant, id ſumpſiſti ad refellendum, de quo in meis literis nullam feceram mentionem, uidelicet in nobis eſſe liberum arbitrium, cuius uiribus freti, cælorum regnũ bonis operibus conſequi, mereriq́. poſſimus. Ego uerò ita non ſcripſeram, neque ullam aut liberi arbitrij noſtri, aut bonorum operum mẽtionem feceram, attamen cùm te frater intelligam, in hanc partem, quam infirmiorem putas, impetum facere, ut doceas eccleſiæ Rom. fidem cum Dei uerbo, ſcripturæq́. auctoritate pugnare, non inuitus in hanc arenam deſcendam, meq́ue ſine magna dimicatione non ſolùm ex Dei uerbo, ipſaq́. ratione, uerumetiam ex tuis uerbis liberum in nobis eſſe arbitriũ, quo per Dei gratiam bona & meritoria opera facere poſſumus, pro quibus æternæ uitę pręmia Deus hominibus rependit, demonſtraturum eſſe cõfido. Vnum illud à te peto, ut te in tuis literis hęc ſcripſiſſe memineris. Si ex Dei uerbo mihi conſtaret, liberum in nobis eſſe arbitrium, tũ uerò

Eccleſiæ

Eccleſię Rom. quę hoc docet, atq. defendit, fidem ſequerer. Quæ cùm tua uerba ſint, me id ita ſe habere, his literis demonſtraturum eſſe confido. Vnum illud ante omnia abs te peto, ut eo, quo opiniones ueſtras proſequi conſueuiſtis, amore depoſito, aut ſi id obtineri non poteſt, pauliſper certe ſepoſito, rationes, ac teſtimonia, quæ producemus, diligenter examines.

IN primis igitur uehementer admiror, te, mi frater, in re tam perſpicua errare, atq. illud negare, quod experientia non modò quotidiana, uerumetiam continua uerũ eſſe demõſtrat. Vt enim ignem calidũ, & niuem albam eſſe nullo negotio intelligimus, ita liberum in nobis eſſe uoluntatis arbitriũ ipſa experientia rerũ magiſtra perſpicuè oſtẽdit. Cùm id mihi uenit in mẽtem, tum pro meo in te amore, ardentiſsimoq́. tuæ ſalutis deſiderio, uehemẽter ſanè uereor, ne ſis ex illorum numero, qui ſibi nimium confidentes à Deo derelinquuntur, quo fit ut in reprobũ ſenſum incidant, eoq́. delapſi recipiant operationem erroris, ut mendacio credant, qui charitatem ueritatis recipere noluerunt. Eſt ea quidem natura mẽdacij, ut ſeipſum euertat ac ſubruat, & experientia quæ negatur uerbo, negantem cogit operibus confiteri.

Mendacii natura.

Ita te uideo pugnare tecum, nec aliud facere poſſe, niſi ut quod uerbo negas, cùm te ipſe libero arbitrio ſpolias, hoc factis aſſeras, tuamq. ſententiam ipſe ſubuertas. O magna uis ueritatis, quæ nullis machinis, nullo cuiuſquã hominis ingenio, aut arte ſubuerti põt, quæ abs te uerbo negata, facto tuo ſui confeſſionem extorquet! Quid enim aliud concionatores ueſtri? quid aliud ueſtræ factionis principes ſibi uolunt, cùm in regem ſuum ipſamq. Remp. ſeditiones excitant, atq. impia arma induunt? Nõne illud agũt, imò totis uiribus, ſummo ſtudio, maxima animi cõtentione, tot denique periculis elaborant, ut conſcientiæ libertatem hac ratione defendant? Nonne tantos illos labores ærumnaſq. ſuſcipiunt, ne q̃d pręter arbitriũ ſuũ facere cogãtur? Ne quis eos cogere poſſit inuitos, ut ſinguli ſuo arbitrio uiuãt? Quę cùm ita ſint, quæ fraus, quæ impoſtura, quis dolus malus cum hoc ueſtro cõferri poteſt? cùm dicimus uos libero uoluntatis arbitrio præditos eſſe, negatis: cùm autẽ contra libertatem ueſtrã aliquid tentatur, ſtatim ut eam defendatis, ad arma concurritis. Quòd ſi liberum non habetis arbitrium, nullam profectò libertatẽ habetis. Cur igitur ut eã defendatis, Regi repugnatis? Qui ſi neſcio quo fato ac

Veritatis uis.

to ac neceſſitate compellitur facere qđ facit, certè illius decretũ moleſtè ferre non oportet, ſed potius amplecti. Cor.n.regis, ut ait Scriptura, in manu Dei,ad quodcũq. uoluerit, cõuertet illud.Porrò ſi Deus regẽ cogit, ut uelit, qđ uult,profectò cũ regi reſiſtitis; Deo repugnatis.Et ſi ut dicitis,Deus operatur in nobis & uelle & pficere; nos uerò nihil,quicquid rex uult aut facit,Dei opus eſt. Attamen ut libertatem ueſtram defendatis, regi repugnatis.Ita ueritas,quam uerbo negatis, factis ueſtris ſui cõfeſſionẽ a uobis extorquet. At cũ in literis à me petis,ut in gratiam tui aliquid faciam, meq. ꝙ id non fecerim,reprehendis, quid? nonne me libero arbitrio præditum eſſe confirmas? ſtultum.n. eſt aliquid à me petere,ſi liberum mihi deſit arbitrium,neque reprehendi debeo,ſi id qđ à me petis, non facio,cùm mihi ſecundũ ſententiam tuam,liberum deſit arbitrium. Cur pecudes non rogatis? cur aſinis ueſtrũ Euangelium non prædicatis? cur lupos ob uoracitatem non reprehenditis? Nonne idcirco ꝙ libero deſtituuntur arbitrio? Cur homines monetis,rogatis,reprehẽditis? Nonne ea re, quod & facere,& nõ facere poſſunt,pro uoluntatis arbitrio,quæ monentur,ut faciant? Nam ſi fato locus eſt,ſi homines omnia non *Prou.21.*

voluntate faciunt, ſed neceſſitate patiũtur, ſuperuacuum eſt quenquã monere, rogare, reprehẽdere. Deniq; uos ipſi qui oẽ hominum genus libero ſpoliatis arbitrio, è cõuenticulis ueſtris conciones omnes atq. exhortationes cur nõ exhibilatis? Quorſum illa cõſilia? illæ conſtitutiones? illa præcepta? & ſi quis fortè deliquerit, illa ſeueritas eccleſiaſticę diſciplinæ? Quę certè uana ſunt omnia, ſi liberũ negatur arbitriũ, ſi cuncta non voluntate fiunt, ſed neceſſitate contingunt. Quid ſibi uolunt tot inuectiuæ in Pontificem? in Epiſcopos? in monachos? in ſacerdotes? denique in omnes catholicos ob illorũ improbitatem, & perditos, ut dicitis, mores? Nõne æquius erat eos miſericordia proſequi, maximè cùm neceſsitate nõ uoluntate tales ſint? Quos ſi reprehendendos putatis, uidete ne quod oratione defenditis, id opere deſtruatis. Rectè, ac propè diuinitùs in quadam oratione Chryſoſtomus, Qui mali ſunt, inquit, ſi à ſeipſis mali non ſint, noli tuos ſeruos caſtigare, nec uxorẽ ſi peccat, increpa, nec liberos uerbera, nec amicos incuſa, nec offendẽtibus inimicis infenſus ſis. Nã hi omnes niſi ſponte delinquant, nõ punitione, ſed miſeratione digni ſunt. Et paulò poſt. Quãdo ſeruus, inquit, tuus morbo impeditus iuſſa non

Hom. 60. in Matth.

fecerit,

fecerit,nõ modò non criminaris, uerumetiã valde cõmiſereſceris. Quare tu teſtimoniũ perhibes, nonnihil ab ipſo,nonnihil aliũde, ac non ab ipſo fieri,verum inde quoque ora iſtorũ obruere facilè poſſumus.Nã undique veritatis affluunt adminicula, ſi eos interrogabimus,quamobrem nũquam ſeruos crimi narentur,ſi facie formoſi non ſint, ſi nõ proceri ſtatura,ſi nõ quaſi uolucres in eundo,cę teraq́.huiuſmodi,quia uidelicet natura hęc, non uolũtate concedũtur.Immunis eſt ergo eius culpæ,quã ei natura inuexit,nõ uoluntas. Cùm igitur accuſas, tunc oſtendis profęctò nõ à natura, ſed à uolũtate mali quippiã proceſsiſſe. Nã ſi quæ minimè culpamus, ea naturæ delicta eſſe, aut ſaltẽ non uoluntatis teſtamur,patet ea ſolũ culpari,quę uolũtate cõmittuntur. Noli ergo peruerſas in mediũ ratiocinationes inferre, nec ſophiſmata & orationis contextum telis aranearum viliorem. Hactenus Chryſoſtomus. Ex quibus intelligis eo ſæculo non defuiſſe, qui ueſtrũ ſequerentur errorem. Atque utinam ex huiuſcemodi ſummorum hominum libris tanquam ex puriſsimis fontibus ueritatem hauſiſſes. Ego uerò, fremant licet ueſtri, unius Chryſoſtomi auctoritatem omnibus Bezis, cæteriſq́. eius farinæ rabulis antepono.

Sed mihi diuinæ ſcripturæ auctoritatē opponeſ, cui ſoli fidem habendam eſſe contenditis, nullumq́. ſanctorũ patrum ei præferendum eſſe clamabis. Ego verò Chryſoſtomũ omnes diuinæ ſcripturæ libros diligẽtiſsimè legiſſe cēſeo, nec adduci poſſum, ut credam illum cōtra uerbi Dei veritatē, liberum unquā hominibus aſsignaturũ fuiſſe arbitriũ, quod paulò pòſt pluribus uerbis planum faciemus. Sed antequam in campum prodeamus, ab experientia tibi oſtēdere uolui nos libero uoluntatis arbitrio prẹditos eſſe, neq; poſſe fieri, quin ii qui illud negant, ſæpe uel inuiti factis, dictiſq́. fateantur, hinc ueritate cogente, inde natura mouēte, ut ſe homines eſſe meminerint, & aliquid inter ſe, & pecudes, ſcilicet liberum uoluntatis arbitriũ ſentiant intereſſe. Quod tibi ipſi iam contigiſſe perſpicio. nam ſuperiore epiſtola me obiurgabas, quia id qđ à me antè petieras, nō feciſſem, in extremis uerò literis tuis ſcribis, me liberũ arbitrium nō habere. Quod ſi ita eſt, in ſuperioribus literis me iniuria reprehē dis: ſed nouiſſimæ literæ tuæ, in quibus me libero arbitrio ſpoliatũ eſſe doces, me ſatis purgāt atque defendunt. Qua in re idē tibi accidit, quod olim Chryſippo; qui cũ omnia ab hominibus fatali neceſſitate, nihil libera

Chryſippus.

uolun-

uoluntate geri diceret, etiam illud adiecit, latrones & ſicarios nõ ſupplicio coërcẽdos, ſed potius miſericordia proſequendos, quod ad illa facinora, cædesq́. non uoluntate, ſed neceſſitate traherentur. Sicarius quidam ex ſententia iudicum cùm morti adiudicatus ad ſupplicium duceretur, Chryſippus inſtituto ſuo fati neceſsitatem incuſans, iudices reprehendebat. Tum prætor colaphũ Chryſippo in aduerſum os cùm impegiſſet, moleſtè id Chryſippus ferẽs, à prętore quæſiuit, cur eũ uerberaſſet. hic prætor: Noli, inquit, hoc moleſtè ferre Chryſippe, fato ſiquidẽ impulſus aliter facere nõ potui, cùm iuxta ſententiam tuam uoluntatis libertate priuatus ſim. Ita Chryſippũ ille coëgit abſurdam, quam antè defenderat, mutare ſententiã. Non diſſimile eſt quod tibi nunc accidit. modò enim mihi in tuis literis uolũtatis adimis libertatẽ, cùm me paulò antè, quòd tuę uoluntati morẽ nõ gererem, reprehendiſſes. Atqui ſi me libero uolũtatis arbitrio priuatũ eſſe cẽſebas, tecũ potius ad hunc modũ agere debebas: Scio fratrem meum, uim ac potentiã efficiendi, quod in literis ab illo peto, non habere. Quòd ſi Deus in eo non effecerit, fieri nihil poteſt. Deus enim homini pſtat & uelle, & facere. Proinde non fratri meo, ſed Deo potius, qui

illi,

illi,nec uelle, nec facere conceſsit, ſuccẽſere debeo. Certè ſtultè atq. improuidè feci, qui hominẽ potius quàm Deum rogaui;ad quẽ ſolum, qui omnia facit,nõ ad fratrẽ meum, qui nihil neq. facit,neq. poteſt,preces meas uertere debuiſſem. Quare cùm hic,quod ab illo petebam, præſtare nõ poſsit,illũ iniuria profectò reprehẽdi. Quàm diu igitur in hac opinione permanſeris, ſi uerã eã eſſe credis, ſcribendi modum mutare neceſſe eſt,eumq́. cui ſcribis, iuxta veſtræ opinionis rationem, rogare iſto modo. Mi frater equidẽ à te non peto, vt hoc aut illud in gratiam mei facias, neque enim tuę uoluntatis habes poteſtatẽ, ſed à Deo peto, ut tibi & uoluntatẽ,& facultátem, hoc aut illud in gratiam mei faciendi cõcedat. Quæ ratio ſi tibi abſurda uideatur, cogitare debes,opinionẽ à qua tanquam ex fonte ratio iſta manat & profluit, abſurdiſſimam eſſe,meq. nõ fruſtrà à te petiiſſe, vt huiuſcemodi opinionẽ abiiceres. quam haud iniuria abſurdiſſimã dico, propterea ꝙ neq. ad uitæ humanæ rationem accõmodari ullo pacto poteſt,neq. unquã in ſocietatis humanę communionẽ recepta eſt. Quid? ꝙ tu ipſe qui eam defendis,atq. aſtruis,tam abſurdam iudicas, ut cùm eã uerbo ponas,facto ſtatim euertas,neque effugere potes, quin eam nõ

modò

modò uerbis,ſed ẽt operibus deſtruas.Quę cùm ita ſint, uehementer ſanè demiror, te ſummo ingenio iudicioq́. peracri præditũ, in tam abſurdos errores, & tã paradoxas opiniones eſſe delapſum.Quę quales ſint,facilè ipſe ꝑſpicies, ſi quę ueſtrã cõtra liberæ uolũtatis arbitriũ opinionẽ ſequantur abſurda, preſſiùs cõſideres.Tu qui ius ciuile didiciſti, & inter iudices ſępe uerſatus es,non ignoras criminis excuſationẽ ab æquo iudice nullã citius recipi,q̃ cùm ita defenditur, feci, ſed aliter fieri nullo modo potuit. Antiqua ſententia eſt.Neceſſitas nõ habet legẽ.Si uolũtatis non habeo libertatẽ, omnia facio fatali quadã neceſſitate cõpulſus.ſi tali neceſſitate cõpulſus, aliter facere nullo modo poſſum. ſi aliter nequeo,ꝑfectò nõ pecco:uſq. adeò ſiquidem,vt ait Auguſtinus,peccatũ voluntarium malũ eſt, ut nullo modo peccatũ ſit, ſi non ſit uoluntariũ.& alibi:Quis peccat in eo quod nullo modo caueri poteſt?quaſi diceret: Vbi neceſſitas eſt, ibi peccatũ non eſt. vbi autem peccatum non eſt, ibi reprehẽſio aut pœna ab ęquo iudice irrogari nõ debet. Quid iuſtius nõ modò apud homines, uerũ etiam apud Deum iuſtitiæ auctorẽ ipſamq́. iuſtitiã adferri poteſt? Atqui iuſta excuſatio iſta nõ eſſet,ſi diuino iudicio improbaretur.

Sed

Sed inſignem quandam abſurditatẽ, imò blaſphemiam in Deũ, quam iſta ueſtra ridicula, ſtultiſſimaq́. opinio fouet, tibi nũc aperiã. Si opera noſtra faceremus inuiti, & fato neſcio quo ac neceſsitate cõpulſi, quo iure imò qua iniuria uindicarẽtur à Deo? Scitũ eſt illud Auguſtini cùm de Deo loqueretur, puniente peccata. nõ enim iuſtè ea uindicarentur, niſi libera fierent uolũtate. Quæ aũt iuſtitia, quę bonitas in Deo eſt, ſi pręceptorũ ſuorũ, quæ iuxta ſententiã ueſtram ſeruare impoſsibile eſt, tranſgreſſores pœnis afficit ſempiternis? quid illo nouo Caluini Bezęq́. ueſtri Deo crudelius? q̄d immanius cogitari poteſt? Nihil eo tetrius unquam finxit antiquitas; ſiquidem in homines talis eſt, qualẽ illum & magiſtri ueſtri confingũt, & tota factio ueſtra eſſe defendit. Ego uerò ſummum illum patrum meorum Deum, cœli & terræ creatorem, illum optimũm atque iuſtiſſimũ nolo dimittere, ut iſtũ ueſtrum crudeliſſimũ immaniſſimumq́. Deũm, imò prodigiũ atq. portentum, qui non modò ea quæ, uti dicitis, fieri nullo modo poſſunt, hominibus pręcipit atque imperat, uerùm etiam eos qui illius præcepta non ſeruant, ſuppliciis afficit ſempiternis, recipiam atq. amplectar. Multa quidem ridicula atque abſurda uobis cõcionatores

Lib. 1. de lib. arbit. cap. 12.

Caluini Deus crudeliſs.

natores ueſtri pſuaſerunt, attamẽ uobis mẽtem ipſam ſenſumq. cõmunem ab iis ereptũ eſſe non arbitror, ut quid inter æquũ,& iniquum,inter bonũ,& crudelem interſit, non intelligatis. Sed ad te frater redeo. Dic mihi, ſi ſeruum paralyticũ,omniumq. mẽbrorum officio deſtitutum haberes, eiq. præciperes, ut literas tuas Lutetiam Pariſiorum adeò celeriter deferret,uti ſi intra horã non rediret,eum aut in carcerẽ coniiceres,aut in profluentẽ abiiceres, ut à piſcibus deuoraretur,deinde in eum pręcepto tuo non obtẽperantem animaduerteres;nõne teipſum iniquum, & crudelem eſſe iudicares,qui in ſeruum tuũ, cui impoſsibile aliquid pceperas, tam inique crudeliterq. ſtatuiſſes? Quanto maior Dei ueſtri acerbiorq. crudelitas, qui cũ ea,quę ut dicitis fieri nullomodo poſsũt, hominibus præcipiat, in eos tamen, ꝙ illius præceptis non obtemperauerunt, immaniſſimè ſęuit,nõ unius menſis aut anni,ſed ęterni carceris pœna; non temporali morte, ſed ſempiterna; nõ illos in profluentem abiicit, ſed in ſtagnũ ignis præcipitat,ut inextinguibili flãma non ad tempus,ſed perpetuò torqueãtur? Et erit quiſquã adeò cœcus ac demẽs,qui ullam bonitatis,aut iuſtitiæ partem iſti Deo adſcribet? Nam ſi corporis mortem

alicui

alicui niſi præcepto tuo pareat,cui obtempe rari nullo modo poteſt,cōminari,tyrannicæ crudelitatis eſt, quāto ſæuior & immanior il le eſt,qui hinc impoſſibilia p̄cipit, inde non corporis, ſed animæ mortem comminatur? Cuius immanis ac ſæua crudelitas fortaſſe tolerabilis uideretur,ſi miſerā illam animam ad annū unum aut alterū flammis adiudica ret, uerùm maxima igniū pœna,eaq. ſempiterna cōdemnare, omnem immanitatem ac ſæuitiam ſuperat.Nulla igitur in Deo ueſtro iuſtitiæ pars,nulla æquitatis,nulla misericordię ratio,ſed tā crudelis immanitas,ut is oēs Phalarides,omnes Nerones,cunctaq. alia tyrannorum monſtra atq. portenta incredibili ſæuitia ſuperare uideatur. Neque uerò ſum ignarus, quibus ambagibus Deū ueſtrū defendere conſueuiſtis, eiusque iuſtitiam quo orationis prætextu adumbrare conamini. Cuius immanitatem atque ſæuitiam,ut religioſo ueſtro patrocinio à morſibus inuidorum uendicare poſsitis, non modò Chryſippea quædam adfertis in medium, ſed etiam ſcripturam trahitis repugnantem. Quid tamen inter æquitatem & crudelitatē interſit, nō eſt obſcurum, neque mihi ulla unquam oratione perſuadebitis Deum ueſtrum, ſi ta men talis eſt, qualem eum fingitis; & ſi eius

præcepta

prçcepta ſeruare nõ poſſumus, iniuſtiſsimũ, ſæuiſsimumq. non eſſe, hæc omnia quæ diximus, ex ſtultiſsima opinione ueſtra, tanquam ex putidiſsimo fonte naſcũtur, ſuntq. conſequentia, nec ulla arte uerborum, Dei ueſtri quem iniquiſsimum crudeliſsimumq. finxiſtis, nomini & gloriæ patrocinari poteſtis. Rectè igitur noſter Hieronymus, Si q̃s, ait, dixerit Deum nobis præcepiſſe aliquid impoſsibile, anathema ſit. Et Chriſtus in Euangelio: Iugum meum ſuaue eſt, & onus meum leue. Item Ioannes apoſtolus in epiſtola: Mandata, inquit, eius grauia nõ ſunt. Vide frater quantũ inter Dei uerbum & ueſtrum errorem interſit. Vos præcepta Dei impoſſibilia eſſe dicitis; Ioannes apoſtolus negat. Quid Moyſes in Deuteronomio? nõne conſentit apoſtolo, cùm ait, prçcepta Dei non eſſe ſupra nos, id eſt, noſtram facultatẽ? Lege 30. Deuteronomii caput, & in noſtrã ſententiam multa eſſe perſpicies, quæ liberæ uoluntatis arbitrium probant, & oſtendunt, ſine quo Dei prçcepta ſeruare nõ poſſumus. Quod igitur confitemur & credimus, id non modò rationi, uerùm etiã Dei uerbo apprimè quadrat & conuenit. Veſtra autẽ opinio uſqueadeò rationi, experientiæ, Dei & uerbo, & gloriæ repugnat, eſtq. contraria, ut mi hi

Epiſtol. 9 a Damaſum Papam.

Matth. 11.

1. Ioan. 5.

Deut. 30.

hi æquè difficile ſit illi aſſentiri, atq. impoſsibile mihi eſt, Deum meum iniuſtum, ſæuũ, crudelem, immitem, tyrannũ, denique omnis æquitatis oblitum credere. Quem cùm ſcriptura diuina paſſim iuſtum, bonum, miſericordem laudet ac prædicet, eiuſq. uias omnes rectas eſſe pronunciet, niſi ſcripturam ipſam tanquam falſam antè condemnem, uerbis tuis, quæ cum ea pugnant, fidem habere non poſſum.

Hæc ad te mi frater fortaſſe pluribus uerbis. ſed quàm ſtulta ſit opinio tua, demonſtrãdum putaui, ut illius abſurditate perſpecta, ad ſcripturæ ſacræ teſtimonia, quæ in fidei noſtræ confirmationem proferemus, recipienda, tuum animum præpararẽ. Qua in re ſi medicorum imitamur induſtriã, nemo ſtudium noſtrum iure reprehendet. ut enim illi corpus ægrum, uitioſisq. refertum humoribus purgaturi, quibuſdam medicamentis præparant, ac deliniunt; ita nos animum tuũ Dei beneficio curaturi, mentem tuam ad ſuſcipiẽdam uerbi Dei medicinam præparare ſtudemus. Fides igitur noſtra nihil contra Dei gloriam, nihil quod aut ſcripturæ ſacræ aut rationi repugnet, docet. Neque enim cũ Manichæis, cum Stoicis, Priſcillianiſtis, Huſſitis, Vuicleffitis, Lutheranis cæterisq. peſti-

bus

bus liberum negamus arbitrium, neque cū Pelagianis tantas illius uires, tantamq́. potē tiam prædicamus, ut Dei gratiam homini ad bene agendum neceſſariam denegemus, ſed inter Scyllam & Charybdim medium curſum tenentes, hinc atque illinc minātes ſcopulos declinamus, liberumque uoluntatis arbitrium ita defendimus, ut id propter primum illud Adæ peccatum adeò imbecillum ac debilitatum eſſe dicamus, ut ad cupiditatas ſuas coërcendas, Deique præcepta ſeruanda, illius auxilio ſemper indigeat. Hæc igitur noſtra de libero arbitrio fides eſt: Cū Auguſtino cæteriſque Eccleſiæ magiſtris, per originale peccatum negamus nos liberū uoluntatis arbitrium perdidiſſe; ſed tamen ita infirmum ac vulneratum eſſe cōfitemur, ut eius infirmitas niſi Chriſti beneficio, qđ credentibus illiuſque ſacramenta ritè ſuſcipientibus communicat, curari recrearique non poſsit.

Sed quoniam ueſtri concionatores beatū Auguſtinum ſecum facere gloriantur, quàm id falſum ſit, ex ipſius uerbis, quæ hic ponemus, intelliges. Eſſe autem liberum arbitriū inquit, atque inde peccare quenquā ſi uelit, non peccare ſi nolit; nō ſolùm in diuinis ſcripturis, quas nō intelligitis, ſed etiā in uerbis

Lib.1. contra Fauſtū Manichæum, cap. 4.

Lib.2.cõtra duas epiſt. Pelagij, cap. 5. *Lib.1.c.2. contra 2. epiſt. Pelagij.*

ipſius Manichæi ꝓbo.& alibi:Peccato Adę, inquit, arbitrium liberum de hominũ natura periiſſe non dicimus,ſed ad peccandũ ualere in hominibus diabolo ſubditis. Itẽ alibi:Quis noſtrum dicat,ꝙ primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere?Libertas quidem periit per peccatũ; ſed illa quæ in paradiſo fuit, habendi plenã cum immortalitate iuſtitiam, propter quod natura humana diuina eget gratia, dicente Domino:Si uos filius liberauerit,uerè liberi eritis,utique ad bene iuſteq. uiuẽdum. nam liberũ arbitriũ uſqueadeò in peccatore non periit, ut per illud peccent maximè oẽs qui cum delectatione peccant,& amore peccati, hoc illis placet,quod libet. Et lib.1.de libe. arb.cap.13.Quid ergo cauſæ eſt cur dubitãdum putemus, etiam ſi nunquam antea ſapientes fuimus, voluntate tamen nos laudabilem & beatam vitam,voluntate turpem & miſeram mereri & degere?Item alibi:Nihil, inquit, tam eſt in poteſtate noſtra quàm ipſa uolũtas eſt; ea enim nullo interuallo mox ut uolumus,præſto eſt.Sed ne multa replicãdo epiſtolæ modum excedamus, Auguſtini breuem quidem, ſed perſpicuam ſentẽtiam adſcribemus: Liberum arbitrium quiſquis negauerit,catholicus nõ eſt. Quid breuius,

Lib. 3. de lib. arbit. cap. 16. *In 3. lib. Hypognosticon.*

quid

quid clarius in hanc ſententiam dici poteſt? Quæ ſit igitur Auguſtini de liber. arb. fides, perſpicuum eſt.

Cùm igitur ſummus ille uir hoc ita liberè clareq́. pronũciet, negetq́. catholicum eſſe, qui liberum negat arbitrium, uide quæſo an æquum ſit me de uoluntatis, quæ in me eſt, libertate dubitare. illud certè permoleſtè fero, totoq́. arbitror lacrymarum fonte plangendum, te mi frater non eſſe catholicum: Si beati Auguſtini in hac cauſa iudicium ſequeris, cauſa te cadere neceſſe eſt. quid ille pronunciauerit, iam audiſti, nimirum te qui liberum negas arbitrium, non eſſe catholicum. Quid igitur? hoc tibi cogitandum relinquo. Neque uerò neſcio quaſdam Auguſtini ſententiolas, ut is ſecum facere uideretur, à ueſtro Caluino hinc inde fuiſſe collectas. Sed qua fide? Nimirũ hæretica. O portentum in ſolas terras deportandũ! Minimè tamen mirandũ eſt, ſi hoc in Auguſtino præceps molitur audacia, quæ diuinæ ſcripturæ ſententiam toties antè uiolauit. Quod enim ibi ſcriptum erat, ut & humanæ uoluntatis infirmitas, & auxilij gratię Dei neceſſitas intelligeretur, id ad euertendam arbitrij libertatem iſte producit, cuius è libris, tanquam ex corruptiſſimis fontibus, quicquid in lite-

ris tuis cõtra arbitrii libertatem & bona ope ra uomuiſti, te hauſiſſe non dubito. Sed ubi ſcripturæ teſtimonia quę ad fidei noſtræ cõfirmationem in medium proferemus, legeris, eaq́. omnia, quæ noſtræ ſententiæ opponis, refutauerimus, tum demum illius impoſtoris ueſtri fraudes atque perfidiam te perſpecturum eſſe confido. Illud certè mihi uſu uenit, ut cùm diuinos libros lego, in iiſq. tot apertiſſima teſtimonia quæ liberum uoluntatis arbitriũ luculenter oſtendunt, deprehendo, uehementer ſanè demirer, cuiquã ſanæ mentis homini, qui ea legerit, in mentem ueniſſe, ut id neget, quod tam perſpicuè diuina oſtendit auctoritas. Quorum tãtus eſt numerus, ut nullus diuinę ſcripturæ liber adeò ſit breuis & exiguus, ex quo non aliquod ſiue teſtimoniũ, ſiue ratio, ſiue exemplum ad liberæ uoluntatis arbitrium comprobandũ, elici poſſit. Quæ ſi omnia recẽſere uellemus, dies nos citius quàm oratio deficeret. Nos ut breuitati cõſulamus, ex immẽſo illo aceruo pauca ſeligentes, ordine recenſebimus.

PRIMVM TESTIMONIVM.

Geneſ. 4. IN Geneſi Deus ad Cain loquens, liberũ in homine perſpicuè oſtendit arbitriũ, dicens:

cens: Nonne ſi bene egeris, recipies? ſin autē malè, ſtatim in foribus peccatū tuum aderit? Sed ſub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius. Quid clarius dici potuit? Vides hic Deū de bonis operibus & eorū remuneratione loquentē, homini ſuū appetitū ſubiicere? Quàm rectè Dei uerbis tuiſq. conueniat, attende. Tu hominem ſeruum uocas, Deus dominum. tu negas illum ſuo appetiui poſſe dominari: Deus contrà ait. Et tamen quę tua eſt uerecundia, opinionem tuā Dei uerbum eſſe, Eccleſię uerò ſententiā cū Dei uerbo pugnare dicis, cùm hoc clariſſimo Dei uerbo euidētiſſimè tua reuincatur audacia. Quod ſi obſcurū eſſet, tergiuerſandi locus forſitan non deeſſet. Nunc uerò adeò clarū eſt atque perſpicuum, ut nullius calliditate aut ingenio in alium ſenſum, quàm hunc, quem modò poſuimus, detorqueri poſſit. Qui cùm ſit uerus, ac ſimplex literæ ſenſus, quem dum de fidei dogmatibus agitur, ſolùm ſequi neceſſe eſt, quæ tua eſt impudentia, tam manifeſtè luci repugnare.

SECVNDVM TESTIMONIVM.

Alterum teſtimonium de Exodi libro ſumptum eſt: Omnes uiri & mulieres, *Exod. 35.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ait ſcriptura, mente deuota obtulerunt donaria, ut fierẽt opera, quæ iuſſerat Dominus per manum Moyſi. & paulò pòſt: Cuncti filii Iſraël uoluntariè Domino dedicauerunt. Cæterùm paulò ſuperiùs dictum erat: Separate apud uos primitias Domino. Omnis uoluntarius & prompto animo offerat eas Domino. Et ne plura replicando, lectori faſtidium pariam, totum hoc caput, filios Iſraël munera ad opus tabernaculi neceſſaria ſponte obtuliſſe, luculenter oſtẽdit. Vbi uerò libertas arbitrii p̃dicatur, fati neceſſitas tollit̃.

TERTIVM TESTIMONIVM.

Num. 15. AD numerorum librum uenio; in quo Moſes, Domino iubente, pręcipit filiis Iſraël, dicens: Cùm ingreſſi fueritis terrã habitationis ueſtræ, & feceritis oblationem Domino in holocauſtum & uictimam pacificam, uota ſoluentes, aut ſponte offerentes munera, &c. Vides hic perſpicuè, uoluntatis adſtrui libertatem? Neque enim ab eo qui liberum uoluntatis arbitrium non habet, quicquã ſponte offerri Deo poteſt. nam ſpõte quicquam facere fati neceſſitatẽ excludit & tollit. Quid in eodem capite? Nonne cùm de iis qui per ignorantiam peccauerunt, ſcriptura

ptura ageret, uoluntatis libertatē oſtendit? Rogabit ſacerdos, inquit, pro omni multitudine filiorū Iſraël, & dimittetur eis, quoniam non ſponte peccauerunt. Cùm autem ſponte peccetur, libera peccantis uoluntas crimini obnoxia iudicatur, quemadmodum paulò pòſt ſcriptura commemorat, dicens: Anima uerò quæ per ſuperbiam aliquid cōmiſerit, quoniam aduerſus Dominum rebel lis fuit, peribit de populo ſuo. Quis ergo nō uideat, aliud peccatū per ignorantiā, aliud ſponte committi, quod tam graue ſcriptura pronunciat, ut rebellis in Deum uoluntas morte damnetur? Quid autem aliud eſt rebellem in Deum eſſe, niſi hominis uoluntatem in Deum armare, idq. uelle quod Deus nolit? Sed contra nouos Stoicos illud quoq; animaduertendum eſt, paria non eſſe pecca ta; quod certè locum non haberet, ſi homines neceſſitate, non uoluntate peccarent. Quid aliquantò inferiùs? Nonne de libera uoluntate clariſsimè diſſeritur, ipſo quoque arbitrii uocabulo poſito, cùm ita dictū eſt? Si uxor iuramento ſe conſtrinxerit, ut per ie *Num. 30.* iunium uel cæterarum rerum abſtinentiam affligat animam ſuam, in arbitrio uiri erit ut faciat, uel non faciat. Ita liberæ uoluntatis perſpicuè confirmat arbitriū Moſes, cui po-

tius, quàm Caluino, fides habenda eſt; niſi
Luc. 16. fortè falſam Abrahæ putamus eſſe ſententiam: Si Moyſen non audiunt, neque ſi quis ex mortuis reſurrexerit, credent. Tria autē ex hoc loco colligimus: Primum quædam non neceſsitate, ſed ſponte Deo offerri. Alterum hinc per ignorantiam, inde ſponte peccari. Tertium in mariti arbitrio eſſe, ut uxor, quod facere conſtituit, aut faciat, aut
Homil. 2. in Geneſ. non faciat. Scitum eſt illud Chryſoſtomi in hāc de peccatorum inęqualitate ſententiā: Si non eſt facultatis noſtræ, bonum aut malum eligere, omnes eiuſdem naturæ participes malos eſſe oporteret, aut omnes bonos.
Stoici. Vnde etiam Stoici, qui primi fato omnia fieri aſſeuerantes, liberæ uoluntatis arbitrium negauerūt, omnia peccata paria, omnes uirtutes æquales eſſe dixerunt. Sed horum inſania exibilata, ad alia ſcripturæ diuinæ teſtimonia ueniamus, ut tuū errorem agnoſcas, quantiſq. in ignorantiæ tenebris uerſeris, intelligas, dum Romanam Eccleſiam contra uerbi diuini auctoritatem, liberum arbitriū defendere autumas.

QVARTVM TESTIMONIVM.

Leuit. 22. IN Leuitico ſcriptum eſt: Homo qui obtulerit uictimam pacificorum Domino, uel

uota

uota ſoluens, uel ſponte offerens. & paulò pòſt: Bouem, & ouem, aure & cauda amputatis, uoluntariè offerre potes. uotum autem ex eis ſolui non poteſt. Certè quod uoluntariè offertur, liberum hominis oſtendit arbitrium.

QVINTVM TESTIMONIVM.

QVid in Deuteronomio? Nonne cùm de huiuſcemodi uolũtariis oblationibus Moſes ageret, etiam de quodam ſacrificii genere loquitur, quod Hebraicè dictũ eſt מִסַּת miſſah, unde etiã quotidianæ oblationis noſtræ quam miſſam uocamus, ſumptum eſt nomen? Sed ipſa uerba ponenda ſunt, quæ ſi quis Hebraicè legerit, ipſum miſſæ nomen inueniet. Et facies, inquit, ſolemnitatẽ hebdomadarum Domino Deo tuo, oblationem ſpontaneam manus tuæ. Et alibi: Teſtes inuoco hodie cælum & terram, quòd propoſuerim uobis uitam, & bonum, maledictionem & benedictionem. Elige ergo uitam, ut tu uiuas, & ſemen tuum. Quid pro arbitrii libertate, quam Græci αὐτεξούσιον ſignificantius dicunt, clarius adferri poteſt? Certè ubi electio eſt, ibi unum aſſumendi, alterũ relinquendi poteſtas neceſſariò intelligenda eſt.

Deut. 16.

Deut. 30.

SEXTVM TESTIMONIVM.

VEniamus ad Ioſue uerum Moyſi diſcipulum, qui magiſtri ſecutus exemplū, his uerbis Iſraëliticum populum admonebat: Nunc ergo timete Dominum, & ſeruite ei perfecto corde atque ueriſſimo, & auferte deos quibus ſeruierunt patres ueſtri in Meſopotamia, & in Aegypto, ac ſeruite Domino. Sin autem malū uobis uidetur, ut Domino ſeruiatis, optio uobis datur, eligite hodie quod placet cui ſeruire potiſſimùm debeatis, utrum diis quibus ſeruierunt patres ueſtri in Meſopotamia, an diis Amorrhæorum, in quorum terra habitatis: ego autem & domus mea ſeruiemus Domino. En qualem arbitrii libertatem ſummus ille uir Iudæos habere credebat. Quos ſi putaſſet eligere non poſſe, ut aut Deum, aut idola colerent, nūquam illis hanc optionem daret. In eodem quoque capite: Inclinate corda ueſtra, inquit, ad Dominum Deum Iſraël. Cor autem in ſcripturis pro uoluntate ſumi, tibi obſcurum eſſe nō arbitror, quemadmodum Chriſtus ipſe ſumebat, cùm in Euangelio diceret, de corde tanq̄ ex fonte exire peccata. Certè qui aliquē vt uoluntatē ſuā inclinet hortatur, eū uoluntatē habere nō dubitat.

SEPTI-

SEPTIMVM TESTIMONIVM.

TRanſeamus ad libros Regum, in quibus 2.Reg.24
Domino iubente per prophetam regi Dauid poſt populi numerationem dictũ eſt: Trium tibi datur optio, elige unum ex his, quod uolueris. Qui cùm iram Dei peccata punientis ſe effugere non poſſe ſentiret, in manus Domini, cuius multę ſunt miſericordiæ, quàm in manus hominum, incidere maluit. Quis non uideat nugatorium eſſe, cui eligendi poteſtas non ſit, è tribus unum eligendi ei optionem dare? Qui autem è tribus unum eligit, uoluntatis libertatem perſpicuè oſtendit.

OCTAVVM TESTIMONIVM.

QVid? nonne eius filio Salomoni ab ipſo Deo dictum eſt: Poſtula quod uis? Certè cui Deus ita loquitur, eum liberæ uoluntatis arbitrio præditum eſſe demonſtrat. 3.Reg.3.
Et erit quiſquam adeò perfrictæ frontis, ut nos contra Dei uerbum uoluntatis libertatē defendere mentiatur?

NONVM TESTIMONIVM.

ILlud autem quale eſt, quod in quarto Regum libro legimus: Omnem pecuniam ſanctorum, quæ illata fuerit in templum Domini à prætereũtibus, quæ offertur pro pretio animæ, & quam ſponte & ex arbitrio cordis ſui inferunt in templum Domini, accipiant illam ſacerdotes iuxta ordinem ſuum. Eant nunc iſti noui Stoici & uoluntatis arbitrium negẽt, quod ſcripturæ ſacræ tam perſpicuè demonſtrat auctoritas.

X. TESTIMONIVM.

1.Par.29 NEc minus clarè & apertè propheta Dauid illud oſtendit, dicens: Si quis ſpõte impleat manum ſuam hodie, & offerat quod *Iudicũ 5.* uoluerit. Librum Iudicum penè præterierã, in quo Debbora prophetis liberum uoluntatis arbitrium oſtendit his uerbis: Cor meũ diligit principes Iſraël, qui propria uoluntate obtuliſtis uos diſcrimini. Qui alterius dominio ſubiectam habet uoluntatem, is propria uoluntate nihil poteſt. Prophetiſſa igitur, quę hominibus propriam uoluntatẽ adſcribit, nobiſcum in Eccleſiæ caſtris militat.

XI. TESTIMONIVM.

VEniamus ad Pſalmorũ librum, de quo duo teſtimoniorum genera producemus; alterum ex iis locis, in quibus aliquid ſponte fieri luculenter oſtenditur, ut cùm dicitur: Voluntariè ſacrificabo tibi. & alibi: Voluntaria oris mei beneplacita fac Domine. item: Anima mea in manibus meis ſemper. & illud: Inclina cor meum ad faciendas iuſtificationes tuas propter retributionem. Cor eſt ipſa uoluntas, quæ Dei mandata cuſtodiens, ab ipſo remunerationem exſpectat. Voluntatem igitur liberam vnà cum operum meritis Propheta hoc loco luculenter oſtendit. *Pſal. 53.* *Pſal. 118*

Alterum teſtimonii genus ex eo ducitur, quòd idem propheta Deum adiutorem ſuũ appellat: Adiutor meus, inquit, eſto, ne derelinquas me. & alibi: Deus in adiutorium meum intẽde. Qui ſolus omnia facit, is adiutor dici non poteſt. Cum igitur Propheta Deum adiutorem ſuum dicit, ſe quoque aliquid facere, non à Deo tantum omnia fieri oſtendit. Quapropter à Deo non petit, ut ipſe ſolus totum opus faciat, ſed ut ſibi opem ferat. Porrò ſi quemadmodum dicitis, Deus in nobis omnia faceret, nos uerò nihil; *Pſal. 26.* *Pſal. 69.*

Dauid

Dauid à Deo petere debebat, non ut illi adiutor eſſet, ſed ut omnia in eo perficeret. Hoc quoque inter Chriſtianos uſus obtinuit, ut cùm aliquid operis aggrediuntur, Dei auxilium precibus implorent.

XII. TESTIMONIVM.

QVid Dauidis filius Salomon, quem Caluino Bezaq. ueſtro ſapientiorē fuiſſe non dubium eſt, nonne paternis inſiſtens ueſtigiis, eiq. conſentiens, uoluntatis libertatem perſpicuè oſtendit, dicens: Puer qui dimittitur uoluntati ſuæ, confundit matrem ſuam? Qui dimittitur, inquit, uoluntati ſuæ, non fatali cuidam neceſſitati. In libro autem

Sap.16. Sapientię etiam apertiùs hanc arbitrii libertatem inſinuat, dicens: Dulcedinem tuam quam in filios habes, oſtendebas, & deſeruiens uniuſcuiuſque uoluntati ad qđ quiſq; uolebat, conuertebatur. Quid apertius dici potuit, ut liberum uoluntatis demonſtraretur arbitrium, quàm ut illud ad quod quiſq; uult, poſsit inflectere?

XIII. TESTIMONIVM.

Eccl.15.c ECcleſiaſticus quoque ſententiæ noſtræ clariſsimè adſtipulatur, cùm ait: Deus

ab

ab initio conſtituit hominem rectum, & reliquit ipſum in manu conſilii ſui, adiecit mandata & præcepta ſua. ſi uolueris mandata ſeruare, conſeruabunt te, & in perpetuum fidē placitam ſeruare. Appoſuit tibi aquam & ignem, ad quod uolueris porrige manū tuā. Ante hominem uita & mors, bonum & malum; quod placuerit ei, dabitur illi. Nihil ad demonſtrādum in nobis liberum arbitrium clarius & apertius dici poteſt. Quis autem ueſtrum morem ignoret? Cùm in aliquem ſcripturæ locum opinioni ſuæ reluctantem adeò clarum & euidētem, ut neque uiolari, neque mutari, neque in alium ſenſum detorqueri poſſit, magiſtri ueſtri incidunt; tum uerò ad hæreticorum commune præſidium repentè concurrunt, & ne ea per quæ reuincuntur cogātur agnoſcere, totum eum librū è quo aduerſus eos aliquid producitur, ex albo & canone ſcripturarum eradunt. Illud tamen in præſentia ſatis eſt, hunc Eccleſiaſtici librum à mille annis ante miniſtrorum ueſtrorum aduentum à tota eccleſia Chriſtiana fuiſſe ſuſceptū. Vnde autem iſtis hæc cenſoria uirgula? Vnde hæc auctoritas, imò impudens audacia, ut quos libros opinioni ſuæ contrarios uiderint, eos è ſcripturarum canone tanquam è ſenatu moueant? Cur eodē

modo

modo Geneſeos librum è canone non eraſe
runt? conſtat enim hunc librũ de libero uo-
luntatis arbitrio non minus aptè, quàm Ec-
cleſiaſticũ agere, dicente Domino ad Cain,
quemadmodum ſuprà oſtendimus: Sub te
erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius.
Si igitur Eccleſiaſtici librum reiiciẽdum pu
tant, cur Geneſim retinent? Sed quoniam
Auguſtinus hunc in canone ſcripturarum li
brum recipit, quemadmodum in ſecundo li-
bro de Doctrina Chriſtiana cap. 8. manife-
ſtum eſt. & ne hoc parum eſſe uideatur, Car
thaginenſe concilium tertium, cui ipſe Au-
guſtinus interfuit, cum canonicæ ſcripturæ
albo adſcripſit. quæ, malum, eſt iſta ueſtra
temeritas, quæ tua frater audacia, quod ante
tot ſæcula tanta ſuſcepit auctoritas, id ſum-
pta à uobis cenſoria uirgula ex illo canoni-
cæ ſcripturæ ſenatu tam impudenter eiice-
re? Multo ſanè moderatius atque prudẽtius
quidam ex ueſtris, qui cùm hunc librum ex
albo ſcripturarum eradere non auderent,
propterea quòd ab hinc tot ſæculis à ſum-
miſque uiris intelligebant eſſe ſuſceptum,
aliam uel effugiendi, uel tergiuerſandi ra-
tionem excogitarunt, ut dicerent hunc Ec-
cleſiaſtici locum de protoplaſtis ante pecca-
tum accipiẽdum eſſe, poſt peccatum autem
liberum

liberum uoluntatis arbitrium in eorum poſteris extinctum eſſe ac perditũ. Sed quàm uana ſit hæc expoſitio, ex eo intelligi poteſt, quod ad Cain poſt fratrem ab eo occiſum Dominus dixit, multis diebus, ut arbitror, poſt primum illud Adæ peccatũ. Quid de cæteris ſcripturæ teſtimoniis dicam, quæ & ſuperiùs produximus, & iam allaturi ſumus? Quæ ſanè omnia non de protoplaſtis ante peccatum, ſed de illorum poſteris accipi neceſſe eſt. Ex quo intelligi poteſt, quàm inanis ac futilis ſit ueſtra iſta exceptio, qua inuictam ueritatem quidam ex ueſtris conãtur eludere.

XIIII. TESTIMONIVM.

Veniamus ad uaticinia prophetarum, *Eſai. 1.* Deiq. uocem per Eſaiã filiis Iſraël ita loquentem audiamus: Si uolueritis & audieritis me, bona terræ comedetis. Quòd ſi nolueritis, & me ad iracũdiam prouocaueritis, gladius deuorabit uos. Qui ita loquitur, ut dicat, Si uolueritis, ſi nolueritis, eos, quibus loquitur, liberum uoluntatis arbitrium, quo aut implere poſſunt, aut non implere, quæ præcipit, habere non dubitat. niſi fortè Deum circulatorum more, nugatoriè loqui

exiſtimamus. Neque enim quiſquam ita loqui ſolet, niſi ei, qui poteſt aut implere, aut non implere quæ iuſſerit.

XV. TESTIMONIVM.

QVid Hieremias cùm Iudæ regẽ ciueſq; Hieroſolymitanos, ut ſabbatum obſeruent hortatur & monet, nonne ita cũ iis agit, ut illos liberam uolũtatem habere demonſtret? Sic enim ait: Hæc dicit Dominus, Cuſtodite animas ueſtras, & nolite portare onera in die ſabbati, nec inferatis per portas Hieruſalem.] Et nolite eiicere onera de domibus ueſtris in die ſabbati, & omne opus non facietis. Deinde huiuſce pręcepti obſeruatoribus lætiora pollicitus, trãſgreſſoribus comminatur his uerbis: Si autem non audieritis me, ut ſanctificetis diem ſabbati, & non porteris onus, & ne inferatis per portas Hieruſalem in die ſabbati, ſuccendam ignem in portis eius, & deuorabit domos Hieruſalem, & non extinguetur. Hæc propter quoſdã noſtri ſæculi iudices pluribus uerbis expoſui. qui tametſi iuxta Dei præceptum à rege, ut dies feſti obſeruẽtur, decretum eſſe intelligant, tamen eos dies contra omnes leges diuinas & humanas facilè uiolari polluiq́.

Hiere.17.

luiq. permittunt. Atque utinam ij hoc Hieremiæ caput legiſſent, ac Dei, ſi præcepta cō temnunt, ſaltem iram uereantur ac timeant. Sed ut unde digreſſi ſumus, eò reuertatur oratio, Propheta ipſa dicendi ratione ſatis oſtendit, regem Iuda, eiuſq. ſubditos liberum habuiſſe uoluntatis arbitrium, ut illum uel audirent, uel non audirent; diem ſabbati uel ſeruarent, uel certè uiolarent; onera in die ſabbati uel portare uel non portare poſſent, nimirum pro ſuæ libertatis arbitrio. Quæ cùm ita ſint, hæc ad ueritatis confirmationem fortaſſe ſufficerent; ex abundanti tamen qnod in hanc ſententiam idem Propheta paulò pòſt dixit, adiiciā. Quid igitur pro uoluntatis libertate apertius dici pōt, quàm ſi homo peccator pœnitentiam agere uoluerit, Deum quoque pœnitentiam acturū eſſe ſuper malo, quod peccatori facere cogitauerat? Quod non minus apertè Ezechiel quoque propheta demonſtrat, apud quē Deus à quadam calumnia, qua eum afficiebāt filij Iſraël, ſeſe purgans, illud prouerbium quod inter eos tum uerſabatur, cùm dicerent, Patres noſtri comederunt vuam acerbam, & dentes filiorum obſtupeſcūt; quibus uerbis Deum accuſabant iniuſtitiæ, quaſi filios ob parentum peccata puniret, refellens, peccā-

tes iure reprehendit. Neque enim Deus quenquam puniebat innoxium; ſed anima quæ peccauerit, ipſa morietur, proprio ſanè non alieno grauata peccato. Et paulò poſt: Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, & fecerit iudicium & iuſtitiam; uita uiuet, & non morietur. Contrà ſi iuſtus auerterit ſe à iuſtitia ſua, & fecerit iniquitatem, ut impius, in peccato ſuo morietur. Et dixiſtis: Non eſt æqua uia Domini. Nunquid uia mea non eſt æqua, & nõ magis uiæ ueſtræ prauæ ſunt? Nam ſi peccator reſipiſcens pœnitentiam egerit, ſalutem conſequetur; ſi iuſtus pietatis opera deſeruerit, punietur. Sic igitur pro ſuis meritis Deus unumquemq; remunerat, Hæc in Iudæos olim dicta ſunt, ſed in ueſtras calumnias quibus Deum ut iniuſtũ arguitis, quòd hominem puniat ob peccatum, quod neque admiſit, neque ſecundum uos, cùm liberũ arbitrium non haberet, admittere potuit, æquè conueniunt. Neque enim ullum peccatum eſt, niſi uoluntarium.

XVI. TESTIMONIVM.

QVantæ uero ſint liberi arbitrij uires, apud Danielẽ laudatiſſimæ Suſannæ decla-

declarat exemplum. Quæ ab impudicis ten tata iudicibus, cum hinc peccati dulcis illecebra, inde non ſolùm infamia, uerùm etiã certa mors ancipitem animum in diuerſa raperet, primò quidem fluctuat ſecumque deliberat, deinde confirmata uoluntate, mori mauult, quam Deum offendere. Iure igitur meritoq́. præclariſſimæ feminæ uirtus toto terrarũ orbe celebrata cantatur. Qua laude profectò uideretur indigna, ſi fati neceſſitate compulſa & inuita, mortem impudicitiæ prætuliſſet. Nihil enim ualde laudabile eſt, quod proficiſcitur ab inuito.

XVII. TESTIMONIVM.

Longum eſt per omnes prophetarum libros currere, ex quibus ea quæ modo protulimus, ſufficere deberẽt. Nã qui Moyſen & prophetas nõ audiunt, nulli profectò alteri credent. Attamen noui inſtrumenti teſtimonia iam in medium producturi, tantum teſtium numerum id effecturũ eſſe confidimus, ut tandem & ad ſuſcipiendã de libero arbitrio ueritatem & fidem, & ad iſtos ueteratores & callidos, qui illud tibi celare cõtendunt, de furto ueritatis ac proditione ſuſpectos reddendos, animum tuũ ſuo põdere

moueant. Quorum auctoritas ſi in te minus ualuerit, quod tamen niſi à Deo planè derelictus es, fieri poſſe non arbitror, certè iis qui ea lecturi ſunt, perſpicuum erit, Eccleſiã catholicam abs te non modò iniuria, uerùm etiam falsò accuſari, quòd cõtra Dei uerbũ homini uolũtatis libertatem aſſignet. Quoties autem mihi hinc tuarum literarũ uenit in mentem, inde tot ſcripturę loca cõſidero, in quibus liberi arbitrii aperta fit mentio, uehementer ſanè demiror tales à te literas eſſe ſcriptas. Nã ſi illa ſcripturæ loca legiſti, quæ eſt iſta impudentiſſimæ frontis audacia, quis animi tumor, oblatrare tam perſpicuæ ueritati? Si non legiſti, quãta eſt hæc tua leuitas, imò dementia, impoſtoribus ita temerè fidẽ habere, credentemq́ue mendacio, ſalutis ac vitæ naufragium facere? Certè prudentis eſt diligenter attendere, quibus fidem habeas, quibus ſalutem animæ tuæ credas. Sed hæc hactenus.

Veniamus nunc ad noui Teſtamẽti loca, quibus liberum uoluntatis arbitrium euidẽter aſſeritur. In primis igitur illud occurrit
Matt. 23. quod Chriſtus in Euangelio dicit: Hieruſalem Hieruſalem, quæ occidis prophetas, & lapidas eos qui ad te miſſi ſunt, quoties uolui congregare filios tuos, quemadmodum

gallina

gallina congregat pullos ſuos ſub alas,& noluiſti. Quid pro nobis magis perſpicuè dici poteſt? Aliud Deus,aliud Hieroſolyma uolebat. Erat igitur iis uolũtas propria, & quidem ita propria, vt cum Dei voluntate pugnaret.Et erit quiſquam,qui neget liberum uoluntatis arbitrium,quod Dei uerbũ adeò luculenter oſtendit?

XVIII. TESTIMONIVM.

QVid? illud quale eſt quod apud alium Euangeliſtam legis?Si quis uult ueni re poſt me,abneget ſemetipſum,& tollat crucem ſuam,& ſequatur me. & alibi filiis Zebe dæi loquens: Quid uultis, inquit, ut faciam uobis? Si iſti uoluntatem liberam non habebant, fruſtra, ne dicam nugatoriè, Chriſtus interrogat: Quid uultis? Sed quoniam iuxta ueſtram opinionem atque ſententiã, Dei opus erat illorum & uelle & facere, ad hunc modũ potius interrogandi erant: Quid uult Deus ut faciam uobis? Ex iis enim qui nihil uelle poſſunt, quærere quid uelint, ſtultum eſt. Quapropter cùm ipſis tuis famulis loqueris, alio genere ſermonis utendum eſt: Neque enim ab iis unquam quærendum eſt quid uelint, ſed iuxta ueſtrũ dogma potius

Marc. 8.

Marc. 10.

iſto modo: Quid uult Deus ut faciam uobis? Quòd ſi abſurdũ tibi uidetur hoc orationis genus, à te peto ut opinio quoque, ex qua talis oratio tanquam ex fonte manat, ac profluit, abſurda uideatur.

XIX. TESTIMONIVM.

APud Lucam quoque euangeliſtã Chriſtus non ſemel, ſed ſæpius cum diſcipulis, tanquã cum iis, qui liberã uoluntatẽ
Luc. 11. haberent, loquitur; ut cùm dicit: Nolite timere puſillus grex. Nolite portare ſacculũ,
Luc. 10. neque peram. & illud tã ſæpe repetitũ: Nolite ſolliciti eſſe. & quæ ſequuntur. Certè ſi diſcipuli uoluntatis arbitriũ non habebant, aliter dicendũ erat, hoc modo: Velit Deus ne timeatis, ne portetis hæc aut illa, ne trãſeatis de domo in domum; uos enim nullam habetis uoluntatem. Sed ne Græculus quiſpiã nos ſuggellãdos putet, quod Græcè ſcriptum ſit: *μὴ φοβοῦ τὸ μικρὸν ποίμνιον, μὴ βαστάζετε βαλάντιον, μὴ πήραν μήδε ὑποδήματα, μὴ μεριμνᾶτε τῇ ψυχῇ ἡμῶν, καὶ τὰ ἑξῆς.* Quid ad illud dices, quod cuidam cæco à Domi-
Luc. 19. no dictum eſt: Quid uis ut faciam tibi? Certè ſecundum uos dicendum erat: Quid uult Deus ut faciam tibi? Vides igitur opinionem

nionem ueſtram à Dei uerbo plurimum diſſidere, quam ſi Deus probet, non ſolum ipſius uerbum, ſed etiam loquendi ordinẽ atque rationem mutari neceſſe eſt. Et putabit quiſpiam Deum ita tam ſæpe locuturum fuiſſe, ſi liberum uoluntatis arbitrium homines non haberent? Quid autem ſibi uult hæc noſtra quotidiana ad Deum oratio: Fiat uoluntas tua, ſicut in cælo & in terra? Si nulla eſt hominis in terra conſtituti uoluntas, quæ cum Dei uoluntate pugnat, illique contraria eſt, cur eum rogamus, ut quemadmodum eius uoluntas fit in cælo, ita etiam fiat in terra?

XX. TESTIMONIVM.

QVid? nonne in Ioannis euangelio ſcriptũ eſt, quoſdam ex Chriſti diſcipulis cùm magiſtri ſermonem, quo illis carnẽ ſuã in cibum, ſanguinẽ in potum pollicebatur, durum iudicarent, ipſum reliquiſſe? O fati vim incredibilem, quæ nolẽtes diſcipulos è gremio prȩceptoris abſtraxit! Quid autẽ ad cæteros Chriſtus? Nunquid & uos, ait, uultis abire? Certè quibus id dicitur, nõ eſt dubium, quin ij quoque quemadmodum alij fecerant magiſtrum deſerere poterant, libe- *Ioan. 6.*

ro utique uoluntatis arbitrio. Illud quoque quale eſt, quod Apoſtolo Petro, cùm pedes Chriſtus abluere uellet, ille nolebat? ut intelligas hominis uoluntatem diuinæ plerũque eſſe contrariam. Infinita ſunt in Euangeliis huiuſcemodi teſtimonia, hæc tamén pauca ſufficient. Nunc ad alios quoque noui teſtamenti libros feſtinat oratio.

XXI. TESTIMONIVM.

Act. 5. Ananias. IN actis Apoſtolorum cùm Ananias agrũ vendidiſſet, partemq́. pretii quod totum Deo uouerat, ſibi reſeruaſſet, ab Apoſtolo Petro audiuit: Nonne manẽs tibi manebat, & uenundatum in tua erat poteſtate? Certè hic liberũ uoluntatis declaratur arbitrium. Quid enim aliud eſt, in tua erat poteſtate, niſi quòd ante uotum illud Eccleſiæ uel dare, uel non dare poterat, poſt uotum autem abſque peccato ſibi reſeruare non poterat? Quantum autem ea fraus, imò ſacrilegium diſpliceret Deo, rei declarauit euentus. Is ſiquidem ob unum illud crimen ſubita morte percuſſus, exemplo cæteris fuit, ne rem Deo cõſecratam, ad proprios imò profanos uſus impunè quiſquam à ſe transferri poſſe confideret. Quòd ſi ille ſacrilegium iſtud fa-

ti ne-

ti neceſſitate compulſus, non ſponte commi ſit, nimium crudelis eſt Deus. Atque utinã ii omnes qui Eccleſiæ bona adminiſtrant, qđ huic Ananiæ contigit, memoria tenerent. Illius erat pecunia prius quàm Deo uouit: pòſt autem quàm Deo uouerat, partem ſibi minus plena fides retinens, diuina ſtatim ultione punita eſt. Quæ igitur cruces? quæ ſupplicia iſtos manent, qui quod olim Eccleſiæ aliorum deuotio cõſecrauit, id impiis ac ſacrilegis manibus rapiunt, nefarioque ſcelere Deo dedicata compilant? Qui, ſiquid iis mentis reliquum eſſet, certè uel hoc deterrentur exemplo. Vnde Athanaſius: Scire debemus, inquit, & nequaquam ignorare quæcũque promittimus Deo, nõ ea deinde noſtra eſſe, ſed Dei. & ſi inde quid defraudamus, ea nõ nos ſumere iam tanquam noſtra, ſed ut Dei, ſacrilegio cõpilare. Hæc à nobis obiter eò dicta ſunt, quòd improba noſtri ſęculi impietas & audacia tam facilè bona Eccleſiæ rapiens, ſacrilegium pro ludo habere uideatur. Sed ad rem redeamus. Beatus Stephanus Iudęos obiurgãs, ac dicens; Vos ſemper Spiritui ſancto reſtitiſtis, quemadmodũ & patres ueſtri; nonne perſpicu è oſtẽdit eo habere proprium uoluntatis arbitrium, diuinæ uoluntati contrarium? Certè talis uolun

Lib. de cruce Domini.

tas

tas à Deo ut illi reſiſtat, neque cogitur, neq; impellitur. Quid Saulus cùm diceret: Domine quid me uis facere? nõne declarat ubi intellexerit, quid Dominus iubeat, ſe aliquid poſſe? Nam qui nihil poteſt, fruſtra quærit quid eum facere uelis.

Act. 9.

XXII. TESTIMONIVM.

VEniamus ad epiſtolas Pauli, quas nobis ſoletis opponere, & ex quibus noſtram de uoluntatis libertate ſententiam à uobis euerſam eſſe gloriamini. Sed tãtum id abeſt à uero, ut noſtram hanc ſententiam atq. doctrinam nemo clarius probet atque confirmet, quàm epiſtolæ Pauli, in quibus pro libero arbitrio tam multa ponuntur, ut nobis etiam ſi nihil eſſet prçterea, quod cauſam noſtram adiuuaret, huius unius ſufficere poſſet auctoritas. Multa præțereo ut ad illum locũ ueniã, in quo de iis, qui filias ſuas uirgines, uel Chriſti flammeo conſecrare, uel grauem nuptiarum ſarcinam ſuſcipere uolunt, diſſerit. Si quis, ait, turpem ſe uideri exiſtimat ſuper uirgine ſua, quod ſit ſuperadulta, & ita oportet fieri, quòd vult faciat, non peccat, ſi nubat. Nam qui ſtatuit in corde ſuo firmus, non habens neceſſitatem, poteſtatem autem habens uoluntatis ſuæ, & hoc iudicauit in

1. Cor. 7.

corde

corde ſuo ſeruare uirginem ſuam, benefacit, Igitur & qui iūgit uirginem ſuam matrimonio, benefacit, & qui non iungit, melius facit. Memorabilis planè ſententia, qua duos miniſtrorum ueſtrorū errores Paulus euertit; unum quo liberum uolūtatis arbitrium tollere; alterum, quo uirginitati nuptias æquare contendunt. Primus apertè damnatur, cùm Apoſtolus dicit uirginis patrem habere uoluntatis ſuæ poteſtatem, eumq. uirginem ſuam non neceſſitate, ſed ſpontè ſeruare. Quid ad confirmandam noſtram de uolūtatis libertate ſententiam clarius dici poteſt? Poteſtatem inquit habens uoluntatis ſuæ. Sed dic mihi Apoſtole, ad quid ualet iſta uoluntatis poteſtas? Num ſolum ad peccandū, quemadmodū iſti noui Euangeliſtæ Caluinus ac Beza contendunt? Tu qui raptus in tertium cælum, Dei arcana didiciſti, melius quàm iſti neſcio qui, myſterium iſtud expones, melius quàm tu ipſe mi frater, ſalua pace tua dixerim, cui nondū tanta myſteria reuelata ſunt. Ad qd igitur ualet iſta poteſtas uoluntatis? Ad bonum. Nam qui non iungit uirginem ſuam matrimonio, bene facit, & quidē melius, quàm ille, qui iungit. Ais igitur nos habere noſtrę uoluntatis poteſtatem ab bona opera, quod frater meus negat. O

quantum

quantum ab Apoſtoli fide fides ueſtra diſſentit? Dicis enim frater eccleſiam noſtram cōtra Dei uerbum aſſeuerare, nos opera bona facere poſſe, & tamen Apoſtolus ipſe, per quem Deus loquebatur, uas electionis, ut nomē Dei toto terrarum orbe portaret, idē tot ab hinc ſæculis dixit, & quidem ita perſpicuè, uerbiſq. adeò claris, & apertis, ut ea in aliū ſenſum, niſi planè uiolata, detorqueri nullo modo poſſint. Habet, inquit, poteſtatem uoluntatis ſuæ. Si Apoſtolus Paulus eãdem uobiſcum haberet fidem, diceret: Non habens poteſtatem uoluntatis ſuæ. Nunc autem contrà, quod uos negatis, ille cōfirmat, Quare mi frater à te peto, ne moleſtè feras, quòd tanti Apoſtoli auctoritati, Eccleſiæq. catholicæ, quæ illius fidem ſequitur, malo credere, quàm aut tibi, aut Geneuēſi factioni, quæ contra illius uerbum atque ſententiam docet. Quæſo te ut epiſtolas Pauli ab Eccleſia non indiligenter lectas fuiſſe arbitreris: cuius ea eſt antiquitas, ut abs te tam iuuene, neque doceri, neque corrigi debeat. Multo ſanè prudentius, ſi ab ea ueritatē diſceres, eamque ſequereris, quam Dei ſapiētia refertam eſſe non dubium eſt. Quanta igitur eſt ueſtra temeritas, quanta animi leuitas, eam ita improuidè damnare, quaſi cō-

tra Dei uerbum doceat hominem ſuæ uolũtatis ad bona opera præſtanda poteſtatẽ habere, cùm hanc doctrinam, quæ ipſiſſimum Dei uerbum eſt, ab Apoſtolo Paulo ſibi traditam acceperit? Sed de his ſatis.

Veniamus ad alterum ueſtrorũ miniſtrorum, imò impoſtorum errorem, quẽ una eademq. ſententia Paulus euertit. apertiſſim è enim dicit: Qui uirginem ſuam matrimonio non copulat, melius facit. Qua igitur fronte negant iſti uirginitatem nuptiis anteponendam? Idem Apoſtolus cùm antè dixiſſet, De uirginibus præceptum Domini non habeo; iis tamen ut ita maneant, conſulit, ueſtri uerò miniſtri contra uirginibus, quę pudicitiã ſuam Domino conſecrarunt, ut nubant perſuadere conantur. Cùm igitur aliud Apoſtolus, aliud iſti ſuadeant, non eſt dubiũ, quin è diuerſo ſpiritu tam contraria conſilia proficiſcantur. Apoſtolum autem cùm continẽtiam ac pudicitiam uirginibus ſuaderet, Spiritum ſanctum habuiſſe, non dubium eſt. Veſtros ergo miniſtros qui contrarium ſuadent, à malo ſpiritu impelli neceſſe eſt. Sed bene habet, quòd cur iſti tam impudenter Apoſtolo contradicant, non eſt obſcurum. Hoc namq. prætextu inceſti matrimonii ſui, quod poſt continentiæ profeſſionem cũ iis uirgi- *1. Cor. 7.*

uirginibus contraxerunt, quæ uoto ſe æternæ pudicitiæ dedicarant, adumbrare conantur infamiam, eorumq́ue ſingulis conuenit ille uerſiculus:

4. Aenei. *Coniugium uocat, hoc prætexit nomine culpam.*

A te tamen peto mi frater, ut Apoſtoli uerba diligẽter expendas, idq́. agas, ne affectus, quo erga miniſtros abreptus es, plus apud te, quàm ueritatis ac uerbi Dei, quod ille nobis ſciptum reliquit, amor ualeat. Sed ad propoſitum reuertẽtes, hæc miſſa faciamus; quę tamen ea re obiter commemoranda cẽſuimus, ut intelligeres, quod genus hominũ te matri Eccleſiæ, quæ te Chriſto genuerat, renunciare perſuaſerit, ut illorum ſequereris errores.

XXIII. TESTIMONIVM.

EX eodem Apoſtoli puriſſimo fonte alia quoque ad liberi arbitrii confirmationẽ teſtimonia hauriamus, ut animi tui incredulitatem frontemq́. duriſſimam eorum multitudo ſalutari pudore cõfundat. Idem igitur

2. Cor. 3. Apoſtolus in eadem epiſtola, Vnuſquiſque, ait, propriam mercedem accipiet ſecundum proprium laborem. Dei enim adiutores ſumus. Non eſt adiutor, qui nihil facit. Secundum

dum hanc igitur Apoſtoli ſententiam, nos aliquid poſſumus. nam qui nihil poteſt, neque auxiliū ferre, neque adiutor dici poteſt. Et quoniā idem Apoſtolus alibi negat nos abſque Dei auxilio aliquid poſſe, nō eſt dubium, quin mutua ope & Deus gratia ſua nos adiuuet, & viciſſim cooperemur. Vt enim cùm is dicit nos ſine Dei auxilio nihil poſſe, uerū dicit: ita cùm ait, nos eſſe adiutores Dei æquè uerū dixiſſe credendus eſt. Cùm igitur utrumque uno eodemq. ſpiritu dixerit, ei vtrobiq. fidem haberi neceſſe eſt.

XXIIII. TESTIMONIVM.

QVid in ſecunda ad Corinthios epiſtola, nonne pro uoluntatis libertate clariſſimè diſſerit, dicens: Vnuſquiſq. prout deſtinauit in corde ſuo, nō ex triſtitia, aut neceſſitate. Hilarem enim datorem diligit Deus. Laudat hic benignitatem & eleemoſynam, quæ in pauperes non coactè ſed ſponte delata, Dei iudicio comprobatur. 2. Cor. 9.

XXV. TESTIMONIVM.

ALibi quoq. cùm de Euangelij prædicatione ageret: Si uolēs, inquit, hoc ago, 1. Cor. 9.

mercedem habeo; ſi autem inuitus, diſpenſatio mihi credita eſt. hic quoque libertatem uoluntatis oſtendit, cuius ſponte Euangelium Chriſti prædicantis magna ſunt prꝫmia.

XXVI. TESTIMONIVM.

AD Philemonem: Sine conſilio, inquit, tuo nihil uolui facere, uti ne uelut ex neceſſitate bonum tuum eſſet. De Oneſimo loquitur, quem cùm Apoſtolus in uinculis conſtitutus retinere uellet, ut illius miniſterio, operaque uteretur, id tamen niſi cōſentiente Domino noluit, ut is dum fugitiuum ſeruum Apoſtolo ſponte concedit, benignitatis à Deo præmium reportaret.

XXVII. TESTIMONIVM.

Heb. 10. ILlud quoque quod Hebræis de peccato voluntariè admiſſo ſcriptum eſt, quid de libero arbitrio ſentiret Apoſtolus luculēter oſtendit: Voluntariè, ait, peccantibus nobis, iam non relinquitur hoſtia pro peccatis. Ex quo intelligi poteſt, peccata non neceſſitate ſed uoluntate committi.

XXVIII.

XXVIII. TESTIMONIVM.

QVid Petrus, Apoſtolorum coryphæus, paſtorq́. ouium Chriſti, & Romanæ fundator Eccleſiæ? Nōne cæteris paſtoribus ita loquitur? Paſcite qui in uobis eſt gregem Dei, prouidentes non coactè, ſed ſpōtaneè, neq; turpis lucri gratia, ſed volūtariè. Quid ſibi uolunt hæc uerba, ſpontaneè, uoluntariè, non coactè? Niſi ut planū fiat, oues Chriſti habere liberū uoluntatis arbitriū, nec bóna opera fatali neceſſitate extorqueri, ſed ſponte præſtari. Noſtra igitur Eccleſia Petri fidem, pro cuius conſeruatione ante paſsionem ſuam Chriſtus orauit, adhuc ſequitur. *1. Pet. 5* *Luc. 22.*

XXIX. TESTIMONIVM.

BEatus quoque Iacobus nobiſcum facit, dicens: Quicunque uoluerit eſſe amicus huius ſæculi, inimicus Dei conſtituitur. Qui ita loquitur, ſatis euidēter oſtendit, homines de quibus loquitur, libero uoluntatis arbitrio ſæculū iſtud & amare, & non amare poſſe. *Iac. 4.*

XXX. TESTIMONIVM.

QVid in Ioannis Apocalypſi? Nonne de quadam Iezabel, quæ ſe prophetā ha-

beri uolens, Dei ſeruos circumueniebat,
Apoc. 2. Dominus loquitur, dicens: Dedi illi tempus ut pœnitentiam ageret, & non uult pœnitere à fornicatione ſua? Ita ſi Domino credimus, intelligimus illi nullam aliam fuiſſe non pœnitendi cauſam, niſi quia nolebat. Dedi illi tempus, inquit, ut pœnitentiam ageret, & non uult pœnitere. Cur autem Domine illi tempus ad agendam pœnitentiam tribuis, cùm Caluinus dicat eam neque pœnitentiam agere, neque vllum bonum opus facere poſſe? Cùm igitur tu, & Caluinus pugnantia loquamini, certè alterum ex uobis ſtultè loqui neceſſe eſt.

XXXI. TESTIMONIVM.

SEd ut huic loco finem imponam, in extremo unicam Pauli ſentētiam proferã, qua ſic nobis uoluntatis noſtræ poteſtatem adſcribit, vt affirmare non dubitet, non ſolùm uelle, ſed etiam facere ex nobis, & nō
2. *Cor.* 8. tantū ex Deo eſſe. Et conſilium, inquit, vobis do, hoc enim uobis eſt utile, quia nō ſolùm facere, ſed etiã uelle cœpiſtis ab anno priore. Nunc uerò & facto perficite, ut quēadmodum promptus eſt animus voluntatis, ita ſit & perficiendi ex eo quod habetis. Si

enim uolũtas prompta eſt, ſecundũ id quod habet accepta eſt. Ex his Apoſtoli uerbis facilè intelligi poteſt, aliquid à nobis quoque fieri, nosq́. habere poteſtatem & faciendi & uolendi. Neque uerò hæc dicentes, Pelagij ſectamur inſaniam, ut omnia uoluntatis humanæ uiribus tribuentes auxilium gratiæ Dei, ſine qua uires noſtræ illi gratum aliquid & acceptum præſtare non poſſunt, uideamur excludere. Sed quoniam Apoſtolus ait Corinthios non ſolùm facere, ſed etiã uelle cœpiſſe ab anno priore, fidenter tantam auctoritatem ſequar, ac dicam nos & facere & uelle poſſe. Neque uerò ignoro nos hanc poteſtatẽ à nobis nõ habere. quid enim habemus quod à Deo nõ accepimus? Illud tantum dico, me hac à Deo accepta poteſtate uti poſſe ſi uelim. Dicere ſiquidem me à Deo poteſtatem accepiſſe, & nihilominus efficere nihil poſſe, quid aliud eſt quàm ſecum pugnare, imò nihil dicere? Nam cùm me ab ipſo Deo bene agendi poteſtatem accepiſſe confitear, & nihilominus dicam me nihil adhuc neque facere neque uelle poſſe, nonne tantundem eſt, ac ſi dicerem me nullam adhuc ab eo poteſtatem accepiſſe, aut certè hanc nihil energiæ habere? Longè igitur pruden-

tius mater eccleſia tradit illud in primis,nos à Deo uires accepiſſe, quibus ab eo ſumptis bona opera facere, iiſq. rectè uti poſſimus. Quod ſi non fecerimus, ſed ut nequã ille de
Matt. 25. Euangelio ſeruus, qui talentum abſcõdit in terra, nobis tradita diuinitus poteſtate, gratiæque Dei munere rectè non utamur, nos iure meritoque puniri. Quod inferius in argumentis ueſtris refellendis planũ faciemus pluribus uerbis. Interea à te peto, frater, ut quàm improuidè ſtulteque loquaris,aduertas. Cùm enim uires ad bene agendum, Dei beneficio nobis datas eſſe fatearis;ad extremũ infers,nos nihil poſſe. Ex quo ſequitur nihil uirium nobis cõceſſum eſſe diuinitus. Nos uerò apertè fatemur hominem antequam uires ad bene agendum de Dei munere ſumpſerit, nihil poſſe; iis uerò diuinitus ſumptis, nihil nobis impoſsibile eſſe, iuxta ſcripturæ ſacræ auctoritatem atque ſententiam dicimus. Et ne nobis domi natum hoc doctrinæ genus eſſe contenderes, 31.ſcripturæ loca,quę nobiſcum faciunt,eccleſiæq. noſtræ de libero arbitrio fidem apertè confirmant,antè produxi. Quæ cùm ita ſint, i nũc amabo te, & iſtis impoſtoribus, qui noſtram de libero arbitrio fidem cum Dei uerbo pugnare contendunt, iterum crede. Non eſt fides

des noſtra Dei uerbo contraria, ne iis quidem ſcripturæ locis quæ in tuis literis poſita ſunt: ſed cum eo ſenſu & peruerſa interpretatione, quam iis locis, tanquam caudā turpiſsimam de tuo adiungis, meritò pugnat, neque conciliari poteſt. Antequam autem tibi reſpondeo, tres rationes firmiſsimas, & nō ſolùm in ſcripturæ ſacræ auctoritate, ſed etiam æquitate fundatas, iis teſtimoniis quę ſuprà expoſuimus, tanquam auctario adiicere conſtitui; ut ex his & noſtræ fidei ſanctitatem, & erroris ueſtri qui illi repugnat, eſtque contrarius, ridiculam abſurditatem omnes intelligant. Deinde quatuor eccleſię magiſtrorum atque Doctorum, quorum auctoritatem in ea fidei confeſsione quam in concilio Poſsiacenſi Regi obtuliſtis, à uobis recipi, & approbari teſtati eſtis, cùm diceretis omnem errorem ab iis damnatum, à uobis quoque eadem ratione damnari, teſtimonia proferemus; ut cùm hinc Dei uerbum, inde rationem totamq. antiquitatem nobiſcum facere, in noſtrisq. caſtris militare uideritis, tanto fulgore perſtricti, ad matris ueſtrę, quam ſtultiſsimè reliquiſtis, gremium reuertamini. Nam, ut ait Sapiens, qui fugit matrem, ignominioſus erit & infelix. *Pro. 19.*

PRIMA RATIO.

SI bene agendi poteſtatem nõ habemus, omnia Dei uerba quibus bene agere monemur, aut etiam iubemur, uana, ocioſa, inutilia, ſuperflua ſunt; & qui ea protulit, parũ ſapiens. Fingant aduerſarij quicquid voluerint, & arte, lenocinioq́. uerborum, adulterium ueritatis fucare, atque adumbrare contendant, numquam ſani capitis homini perſuadebunt, quin aut aſino ut inſtar auium uolet, aut homini qui pedes non habet ut currat, aut ei cui lingua præciſa eſt, ut loquatur, præcipere, ſuperuacuũ ſit. Quamobrem? Quia iis ea præcipiuntur, quæ præſtari nullo modo poſſunt. Ita quicquid iſti garriant, ſi nihil agere poſſum, ſi non habeo liberum uoluntatis arbitrium, fruſtrà mihi Deus præcipit, ut aut aliquod bonum opus faciam, aut eius legem obſeruem, cùm hæc ab eo qui nihil boni agere poteſt, obſeruari nullo modo poſſit.

SECVNDA RATIO.

DEinde ſi homo non habet liberum uoluntatis arbitrium, omnia illius opera

Deo prorſus adſcribi neceſſe eſt. Nam ſi me frigentem ignis calefacit, non igni ſed Deo gratias ago. Sumpto quoque à me pane, fameque depulſa, non ipſi pani, ſed Deo qui pro me panẽ creauit, gratias ago. Si domus mea fortè incendio conflagrauit, calamitatem hanc meam non igni, ſed Dei iudicio peccata mea punientis adſcribo. Idem de iumentis, quorum opera quotidie utimur, habeo dicere. Quam ob rem? Quia cuncta iſta quæ diximus, libero carent uoluntatis arbitrio. De homine autem, ſi is libero caret arbitrio, nonne eodem modo iudicandum eſt? Nonne omnia illius facta & inſtituta Deo adſcribenda ſunt? Nonne ſiquid ab illo beneficij accipis, ſtultiſſimum eſt illi gratias agere? Quis eum qui aſino ſuo gratias agat, non ſtultiſſimum iudicet? Prorſus ad eundem modum, ſiquid mali ille attulit, ei ſuccenſere iniquum uidetur. Deo enim adſcribenda ſunt omnia. Hæc ex illo ueſtro antecedente, quo liberum hominis arbitriũ tollitis, ſequi neceſſe eſt. Quod cùm Philippus Melanchthon, dialecticæ non imperitus, qui in caſtris ueſtris aliquando militauerat, intelligeret, audacter ſanè concludit, & perſpicuè oſtendit, quid ex hac opinione ſequatur, nimirum illud adulterium Dauidis,

In locis cõmunibus. *Anno Domi. 1521. excuſis, et in cõmẽtariis. in 5. c. ad Ro*

uidis, & Iudæ proditionem, nihilo minus eſſe opera Dei, quàm Pauli conuerſionem. Videbat enim ſi unum daret, alterum quoque oportere concedi, ſi liberum arbitrium tolleret, omnia humana opera, non hominum eſſe, ſed Dei. Sed iſta ſententia adeò abſurda eſt atque blaſphema, ut ipſius quoque Manichæi uincat inſaniam. Is enim cū liberum negaſſet uoluntatis arbitrium, illudque intelligeret eſſe conſequens, ut omnia noſtra opera Deo attribuerētur, ut illud uitaret incommodum, duo principia excogitauit, unum omnis boni, alterum omnis mali auctorem. Turpe enim eſſe iudicabat, bono Deo mala hominum opera adſcribere. Sed Melanchthon aliquanto prudentius: qui cùm temporis ſucceſſu ſuum intellexiſſet errorem, impiam hanc abſurdamq. ſententiam in ſecunda Locorum communium, & Commentariorum ſuorum in Epiſtolam ad Rom. editione è ſuis libris funditus ſuſtulit, Lutherique opinione reiecta liberum arbitrium in homine eſſe confeſſus eſt, quod Dei gratia fretum & adiutum bona opera facere poſſet. Atque is ad eum modum uerum eſſe monſtrauit tritum illud adagium, *δεύτεραι φροντίδες σοφώτεραι*. Illius uiri utinam ſequereris exemplum, & cuius errorē

probas

probas, eius imitarere prudentiam, qua tam abſurdam impiamque ſententiam correxit ac reſpuit. Id ſi facere nolueris, te omnia peccata tua Deo tamquam auctori adſcribe re neceſſe eſt. Quo quid abſurdius, quid magis impium cogitari poteſt? fingant ſanè callidi homines quicquid uidebitur, ut fallente mendacio, & fucatæ orationis adulterio huius erroris celetur impietas. Certè ſi te à Deo tuo ſine libero uoluntatis arbitrio conditum exiſtimas, illum tuũ Deum adeò malum humaniſque rebus infeſtum haberi neceſſe eſt, ac ſi omnia adulteria, omnes cædes, omnia ſacrilegia, rapinas omnes ac ſeditiones, denique omnia ſcelera, quæ ueſtræ factionis homines vnquam admiſerũt, ille perpetrauiſſet.

TERTIA RATIO.

TErtiò ſi hoc impium dogma ſuſcipitur, omnium flagitiorum ac criminũ generalem quandam excuſationẽ admittere neceſſe eſt. Quæ enim meretrix, quæ adultera, quæ ſaga, quę uenefica, flagitiis ſceleribuſq. uis patrocinium deeſſe arbitrabitur? quis tro, quis pyrata, prædo, ſicarius ſe à facino ibus ſuis ſatis purgatum non eſſe exiſtimabit,

bit, ſi planũ fecerit ſe fatali neceſſitate compulſum, non propoſito ac voluntate peccaſſe? Chryſippus Stoicæ anteſignanus inſaniæ, cùm liberum hominis negaret arbitriũ, omniaque humana opera fato adſcriberet, illud eſſe conſequens intellexit, ut ſcelera nullo animaduerſionis genere, nulla pœna uindicarentur. Itaque iudices qui prædones ac ſicarios ſuppliciis coërcebant, reprehendebat: illoſque, quòd fato non uoluntate peccaſſent, miſericordia potius proſequendos, quam puniendos eſſe dicebat. Quod eò retuli, ut ex his conſequentiæ noſtræ ueritas ac bonitas perſpici poſſit. Nam ſi opinioni ueſtræ locus eſt, ſequitur, ut improbis nulla cuiuſcunque criminis iuſta defenſio unquam deeſſe uideatur. Quid magſtratus? Quid iudices? An cùm in improbos grauius aliquid ſeueriuſq. conſtituunt, id ſine humana iniuria facere poſſunt? Imò verò ne improbus quidẽ dicẽdus eſt quiſquã. Nam ſi nullus ſpõte atque ex propoſito peccat, nullus improbus iure dici poteſt. Nullus autem ſponte peccat, ſi ad peccandum fatali quadam neceſſitate impellitur, aliudque facere non poteſt. Sine iniuria igitur, neque in delinquentem ſeruulum animaduertet dominus, neque peccantem filium caſtigare

e pater, neque Rex legem ullam ferre pote
it. Denique abrogandę ſunt omnes leges,
xibilandi Reges, magiſtratus ac Iudices
xterminandi, nemo ſit dominus, nemo ſer
uus, nulla Reipub. facies, ſed hominibus
pecudum more uiuendum eſt. Et ſanè haud
cio an hoc ueſtræ factionis hominibus pro-
poſitum ſit, an huc eorum ſtudia tendant,
conſiliaque omnia ferantur, dum ita facilè
editiones ac tumultus concitant, cęlumque
erræ miſcentes, in Reges ſuos arma cor-
ipiunt, quorum leges & edicta calcantes,
a ſola uidentur amplecti, quibus poteſtas
is uiuendi ut uelint, conceditur. Complu-
es quidem cùm ueſtra ſtudia conatuſque
conſiderant, & illa ueſtra arma reſpiciunt,
arbitrantur hoc uobis propoſitum eſſe, ut
d quod ex opinione ueſtra qua liberum
negatis arbitrium, modò ſequi oſtendi-
mus, in rem conferre poſſitis. Suſpicioſum
fortaſſis ac credulum hominum genus.
Sed quámuis orationis fuco ſtudeatis cela-
e mendacium, nemini tamen dialecticis
mbuto umquam perſuadebitis, ex illo ue-
tro paradoxo iſtas abſurditates non eſſe
conſequentes. Quod paradoxum ille ſo-
us uerum eſſe credat, qui hominem non
nimal rationis particeps, ſed pecudem

eſſe

eſſe credit. Neque defuerunt qui cum intelligerent, ex illa ueſtra opinione ſequi tam abſurda, cùm agnitum errorem ſuum damnare deberent, non modò non damnarunt, ſed nouo potius, & quidem abſurdiſſimo errore cumularunt. Quamuis, inquiunt, homo nihil aliud poſſit niſi peccare, liberum tamen ad peccandum habet uoluntatis arbitrium, & ſponte peccat. Nihil errore fœcundius ubi ſemel à ueritate diſceſſum eſt. Tu uerò qui omnes humanas cogitationes à Deo, tanquam ex fonte deriuas, qui ut dicere conſueuiſtis, in homine operatur, & efficit non ſolùm uelle, ſed etiã facere, huic opinioni non aſſentiris, ut equidem exiſtimo. Itaque eam nõ uehementer oppugnabo, ſed obiter tantùm eius abſurditatem oſtendam. Illud igitur in primis habeo dicere, iſtos ſecum pugnare, ſeque ſuo gladio iugulare, dum ex negatione definitionis affirmationem definiti colligunt. Quaſi ita argumentarentur & dicerent: Ille non eſt animal rationis particeps, ſed tamen homo eſt. Non habet tres angulos, eſt tamen triangulum. Ad eundem modum iſti negant nos liberum habere arbitrium niſi ad peccandũ. Liberum autem arbitrium definitur poteſtas ad duo oppoſita, neceſſitas autem poteſtas

ſtas ad unum ſolum. De libertate hominis in uia conſtituti loquor. Nam dæmones & damnati tametſi nihil aliud poſſunt niſi peccare, tamen amplius commereri non poſſunt, neque peccatorum, niſi eorum quæ in uia admiſerunt, pœnas luunt. Ita & beati cum iam peccare non poſſunt, ne mereri quidem amplius poſſunt, quia meritum & demeritũ non niſi in uiatoribus, qui ad duas res ſibi oppoſitas habent poteſtatem, reperiuntur. Quæ cùm ita ſint, iſti qui hominẽ in mortali etiamnum corpore conſtitutum nihil aliud poſſe dicunt niſi peccare, & tamen ob peccata ſua iure meritoque puniri, peioris illum conditionis faciunt quàm eos qui iam cruciantur in tartaro, qui quanquã aſſidue peccant, ob illa tamen ſola peccata, quæ in uia, id eſt in mortali corpore, conſtituti admiſere, dant pœnas.

His ita poſitis, ad propoſitũ reuertamur. Ignis agit non liberè, ſed neceſſariò, quoniam ad duo oppoſita ſimul non poteſt, ſed ad unam ſolam rem ualet. Is autem libertatem habere dicitur, qui poteſt aut agere, aut non agere, amare, uel non, uelle aut nolle. Qui ergo dicit aliquid ita ſe habere vt ex duobus oppoſitis in unum ſolum ualeat; eſſentialem liberi arbitrii definitionem ei negat

gat conuenire. Deinde cùm ait illud nihilominus habere liberum uoluntatiſ arbitriũ, definiti affirmationem ex definitionis negatione concludit & colligit, perinde ac ſi diceret, Habet in duas res poteſtatem, non poteſt tamen niſi in unam rem. Cùm igitur iſti aiunt hominem habere liberum uoluntatis arbitrium, idem eſt ac ſi dicerent, Homo habet in duas res oppoſitas ſibiq́ue contrarias poteſtatem. Deinde cùm negant illum poſſe niſi in unam rem, idem eſt ac ſi hominem negarent habere liberum arbitrium, aut ſi ita dicerent, Homo eſt, ſed animam nõ habet. Itaque ſimul aiunt & negãt. Vt enim homo ex duabus rebus, id eſt ex anima conſtat & corpore, ita liberum uoluntatis arbitrium duplici poteſtate, agendi uidelicet, & non agendi, præditum eſſe neceſſe eſt. Hæc ſpinoſiora fortaſſe alicui uidebuntur, prætermittenda tamen non erant, ut fraudes ac technæ quibus callidi homines ſimplicibus illudunt, eoſq́ue mendacio fallente decipiũt, cùm abſurdam impiamq́ue ſententiam abſurdiore quadam impietate protegere & celare contẽdunt, perſpicuè ab omnibus intelligi poſsint. His igitur fraudibus ac dolis mũdus fallitur atque decipitur. Miſeret me illorum quos iſti ueteratores & callidi huiuſcemodi

ecmodi dolis ac ſophiſmatibus capiunt, in ſuamq. factionem trahunt. Suis inquam ſophiſmatis ac dolis. Quod enim vnquam argumentum magis Sophiſticum atq. captioſum excogitari potuit, quàm hoc, in quo rei definitæ affirmatio, ex definitionis negatione colligitur? Si eſſent qui iſtos impoſtores audire uellent, totum orbem terrarum ſuis ſophiſmatis iſti fallerent atque deciperent, maximè ſi iis ita argumentari liceret. Certè nullũ eſt paradoxum uſque adeò ab omniũ fide, atque opinione diſſentiẽs, quod iſti iã probare non poſſint, cùm auditores ita ſimplices, imò ſtupidos habeant, ut tã abſurda dicentibus credant. Hæc igitur argutia, quã ne abſurdè loqui uiderentur, iſti excogitauerunt, ueſtrum non defendit errorem, ſed potius auget, illuſtrioremque reddit, quemadmodum ex iis quæ attulimus, perſpicuũ eſt. Nunquam error abſurdus alterius erroris adiectione deletur, nec uulnus alterius uulneris inflictione curatur.

QVARTA RATIO.

VEniamus ad quartam rationem, ut erroris ueſtri non ſolùm abſurditas, uerùm etiã impietas atque blaſphemia poſsit intelligi. Deum enim quantum in uobis eſt infamatis, eiuſq. nomini & maieſtati contume-

liam infertis, cùm illum in homine peccare, hominem autem pro peccato pœna ſupplicioq́ue affici dicitis. Ille ſecundum uos peccata committit, nos uerò dicimur peccatores. Ille comedit uuam acerbam, & dentes noſtri obſtupeſcunt. Hæc omnia ex opinionis erroriſq. ueſtri putido fonte ducuntur, ſuntq́. conſequentia. Nam ſi uoluntate mea ipſe meipſum nō moueo, ſi neq; uelle quicquam, neque facere poſſum, peccatum autē abſque uoluntate ne cogitari quidē poteſt, profectò qui id agit ut uelim, agit etiam ut peccem. Deus autē iuxta ueſtram ſententiā, iſq́. ſolus totam noſtrā mouet atque gubernat uoluntatē. Is ergo ſolus peccat in nobis. Quo iure igitur, imò qua iniuria in aliis punit & uindicat ſcelera quę ipſe cōmiſit? Cur peccatū cuius ipſe auctor eſt, in homine potius quàm in aſino aut pecude punit, cùm homo in mala uolūtate, a qua in primis peccatū eſt, gubernanda, non amplius quàm aſinus fecerit? Qui fieri poteſt ut illū tanquā bonum ac φιλάνθρωπον amemus, cùm ille uſqueadeò crudeliter in homines ſæuiat, ut propter peccata quæ ipſe cōmiſit, eós exquiſitiſſimis ſuppliciis torqueat? Cur grauē peccatorum ſuorū ſarcinam non potius brutis animantibus, quàm hominibus imponit,

cùm

cùm hi ſecundũ vos libero voluntatis arbitrio carentes, non amplius quàm illa uelle aut nolle poſſint? Ad hæc quì Deus Opt. Max. atque iuſtiſſimus dici poteſt? Hoc ueſtro Deo certè nihil peius, nihil teterius, nihil immanius cogitari poteſt. Ipſe namq. peccati, quod nobis luendũ eſt, à vobis auctor dicitur. Et erit quiſquam ueſtrũ qui illum tanquam bonũ, aut iuſtũ deinceps prædicabit? Quis neſciat proprium eſſe iuſtitiæ, ſuum unicuique reddere, nec aliũ ob alterius peccatum pœnæ ſupplicioq́. ſubiicere? Vnde apud prophetã Deus noſter ita loquitur: Filius non portabit iniquitatem patris, nec pater filij. Propheta igitur Ezechiel Deum adeò iuſtum agnoſcit, ut niſi ob propriũ peccatũ puniat neminẽ. Si Caluini ueſtri Deus iuſtus eſt, cur ergo ſe ipſe non punit, cùm peccatorũ ipſe ſit author & cauſa? ut quemadmodum iura præſcribunt, pœnæ teneant ſuos authores. Cur in miſeros homines ſæuit qui non habent liberum voluntatis arbitrium? Quale eſt iſtud, ut dominus aliquis peccet, & ob peccatum ſuũ ſeruulos puniat? Quale, ut pater crimen admittat, deinde ut crimen admiſſum in filios uindicet? Patrem quendam ferunt filios conſpuiſſe, eorumq́. ora ſuo ſtercore contaminaſſe, quos *Ezec. 18.*

cùm ita deturpatos animaduerteret, in ignē coniectos uiuos cōcremauit. Talem iſti Deū faciunt. Veritatem igitur adulterent ut uidebitur, nemini tamen qui bonitatis ac iuſtitiæ notionem habeat, perſuadebitur, ullam æquitatis aut iuſtitiæ partē illo ueſtro Deo eſſe poſſe. Quo quid crudelius, quid immanius cogitari poteſt? Neque uerò nobis obſcurum eſt, quantum ueſtri concionatores imò impoſtores elaborent, ut noui ſui Dei nomen hoc immanitatis ac ſæuitiæ crimine liberent, hominibuſque perſuadeant, eum quamuis crudeliſſimum, bonitatis atque clementiæ laudibus iure celebrari. Sed hoc fungis ſtipitibuſq. perſuadeant; cordati certè viri, ſanoque iudicio præditi, tam abſurdis ac paradoxis opinionibus fidē adhiberè non poſſunt. Ego uerò, ut de me liberè loquar quod ſentio, Deum meum longè alium mihi eſſe perſuaſi, nec in animum tam abſurdas & impias de Deo opiniones poſſum inducere: quod ſi facerem, certè fieri non poteſt, quin illud etiam quod ex huiuſcemodi opinionibus ſequitur, unà crederem, illum nimirum adeò crudelem, ſæuum, μισάνθρωπον eſſe, ut nihil eo ſæuius, nihil immanius, nihil iniquius cogitari poſſit. Quis unquam hominem illum, qui omnia cędibus, adulteriis, rapinis,

pinis, ſacrilegiis polluit, & nihilominus ſeruulos ſuos aut filios, ob ea peccata quæ ipſe commiſit, ſæueriſſimè punit, credet eſſe iuſtiſſimum? quis eum eſſe uirum bonum? quis denique hominem, ac non prodigium atque portentum exiſtimabit? Niſi fortè is qui nihil uideat, nihil intelligat, ipſo denique corde, ſenſuque communi priuatus ſit. Quid de iis dicam, qui cùm Deum non modò omniũ flagitiorum ac ſcelerum auctorem eſſe confingant, & haberi uelint, uerumetiam illa peccata quæ ipſe in hominibus efficit, ſeueriſſimè uindicet ác puniat, nihilominus aſſeuerant eum eſſe iuſtiſſimum atque optimũ? O mẽtes Cimmeriis, ut aiunt, tenebris atriores! O monſtra atq; portenta in ſolas terras deportãda, & ex omni humana ſocietate pellenda! Quid enim aliud agunt iſti, imò quid per illos agit Satanas, niſi ut Deus à nullo colatur? à nullo ametur? denique ut Chriſtiana religio funditus deleatur? Quis enim adeò iniquum Deum coleret? quis tam crudelem ac ſæuum amaret? Quid igitur aliud ſibi uolũt huiuſcemodi opiniones? quid illa abſurdiſsima paradoxa? quorſum inquã hæ blaſphemiæ pertinent, niſi ut & fidem ipſam ac Religionẽ euertant, & Rempub. quoque, omnemq́. magiſtratum funditus ſubruant?

Mirari iam deſino quòd ueſtri concionatores diſcipulos auditoreſque ſuos in officio continere non poſſunt, quo minus illi ἄθεοι facti in Epicuri caſtra transfugiant. Cùm enim hi tam abſurdam atque impiam de Deo opinionem ab illis tanquam mortiferum aliquod venenum hauſerint, ac penitus imbiberint, ut illum & peccatorum & ſcelerum auctorem eſſe, & nihilominus miſeros homines qui culpa uacant, propterea quòd aliud facere non poſſunt, ob illa peccata quæ in iis Deus ipſe commiſit, adeò ſeuerè puniri exiſtiment, eo facilè delabuntur, ut quem adeò malum atque immanem eſſe ſentiunt, eum ne Deum quidẽ eſſe credant. Hi ſunt igitur fructus ſanè præclari, qui ex paradoxis abſurdiſſimiſq. opinionibus ueſtris colliguntur.

Grad° ad Atheiſmum.

Nos uerò Catholici Chriſtianæ fidei alumni, Deum noſtrum ita & amamus & optimum credimus, ut de illo nihil tale in animum inducere poſſimus. Quare etiam ſi nullæ ſcripturæ loca produceres, ut hominem carere libero uoluntatis arbitrio probares, tibi fidem habere nullo modo poſſem, propterea quòd tam multæ in Deum ipſum blaſphemiæ ex illa opinione naſcuntur. Itaque malo iuxta manifeſtam ſcripturæ

ſacræ

ſacræ ſententiam Deum iuſtum ac bonum credere, quàm uobis aſſentiendo, cùm ipſius ſcripturæ uerba torquetis, de illo tam improbè nefarieq́ue opinari, ut iniquum & crudelem Deum exiſtimem. Iacobum Apoſtolum audire malo, eiq́ue fidē habere, qui ait: Fratres mei nemo dicat cùm tentatur, quòd à Deo tentatur. Deus enim intentator malorum eſt. Et ne Latini ſermonis ambiguitas obſcuritatē adferre uideatur, cùm Græcè ſit ἀπείραστος: & paullò pòſt ſequitur, Ipſe enim neminem tentat. Deus intentator, ἀπείραστος malorum eſt, & quiſquam cū impia uoce malorum dicet auctorem? Malo inquam huic Apoſtolo Dei credere, quàm iſtis nouis, non apoſtolis, ſed apoſtatis' imò Stoicis, qui de homine tā abſurda, de Deo tam ſæua immaniaq́ue finxerunt. Quæ cùm ita ſint, ego, ut antè dicebam, etiamſi iſti mille ſcripturarum loca proferrent, ut mihi huiuſcemodi paradoxa, nouaſq́ue opiniones ueras eſſe perſuaderent, iis fidem numquam habere poſſem; cùm mihi certum ſit omnes ſcripturæ ſacræ auctoritates quæ ad perſuadendum aliquid tale proferuntur in medium, praua ipſius ſcripturę intelligentia niti. Nam ut beatus Auguſtinus ad Marcellinum ait, Si manifeſtiſſimæ certæq. rationi uelut

Iac. 1. *Auguſt. epiſt. 7.*

uelút ſanctarum ſcripturarum obiicitur auctoritas, non intelligit qui hoc facit, & non ſcripturarum illarum ſenſum, ad quem penetrare non potuit, ſed ſuum potiùs obiicit ueritati, nec quod in eis, ſed quod in ſeipſo uelut pro eis inuenit, opponit. Cùm igitur mihi contra certam hanc manifeſtamque rationem, & contra euidentiſſimam liberi arbitrij experientiam ſcripturæ auctoritatem opponis, non eſt dubium quin hæreticorũ (de quibus præclarè Tertullianus: omnes ſcripturas, inquit, ſine ſenſu loquuntur) morem, ſecutus, Dei uerbũ longè aliter quàm ſpiritus ueritatis accipiendum uelis. quod ut ad ſenſum quem domo adfers, accommodare poſſis, ſcripturam trahis repugnantem, quemadmodum inferius planum faciemus. Sed illud in primis faciendum puto, ut hac in re quid quatuor illi doctores ſenſerint, quorum fidem uos ita ſequi publicè teſtati eſtis, ut ea quæ illi probarent & crederent, uos quoque probare & credere, & quæ tanquam hæretica & falſa damnarent, uos conſentientibus animis damnaretis, exponam. Quos omnes eadem fide, quam nunc quoque Romana conſeruat eccleſia, imbutos fuiſſe, eamque ſolam poſteris tradidiſſe, monſtrabimus.

QVA-

QVATVOR DOCTORVM, QVOS IN FIDEI SVAE CONFESſione Regi Francorum Anno 1561. oblata Caluiniſtæ receperunt, teſtimonia.

SED ne quiſquã exiſtimet me aliquid hoc loco fingere, ipſorũ uerba ex ſua confeſſione depromam; cuius inſcriptio eſt: Cõfeſſio fidei cõmuni cõſenſu cõſilioq. Francorũ, qui iuxta puritatẽ Euangelij Domini noſtri Ieſu Chriſti uiuere cupiunt. Huius præclarę cõfeſſionis articulo ſexto de concilijs & doctoribus ita loquũtur: Quod ueterũ conſiliorũ probauit ac decreuit auctoritas, libenter amplectimur, omneſq. ſectas & hæreſes quę à ſanctis doctoribus Hilario, Athanaſio, Ambroſio, & Cyrillo reiectæ ſunt, nos quoq. cõſentientibus animis deteſtamur atque damnamus. Hæc illi tũ publicè profeſſi ſunt. Tu uerò, frater, qui idẽ quod iſtius confeſſionis auctores credis, illiſq. conſentis, illorũ ſummorum hominũ atque doctorũ teſtimonia, ut equidẽ cõfido, ſuſcipies, neq. reiiciendũ putabis quòd tanta & à ueſtris approbata ſanxit auctoritas. Cùm igitur ea tua ſit fides, contra hanc te facturũ eſſe non arbitror, ut quod uerbo fateris, id facto negare uidearis.

In

Lib. 1. *De gratia Chriſti cõtra Pelagiũ & Celeſtiũ, ca. 48. To. 7.*

In primis igitur Beati Ambroſij teſtimoniũ proferemus, de quo Auguſtinus ita ſcriptũ reliquit: Hic eſt Mediolanenſis epiſcopus Ambroſius, quem Pelagius tanta prædicatione laudauit, ut diceret in libris eius prę cipuè fidẽ relucere Romanam, qui ſcriptores inter Latinos flos ſpecioſus enituit, ita ut eius fidẽ, & puriſſimum in ſcripturis ſenſum reprehendere, ne inimicus quidẽ auderet. Hæc de Ambroſio Auguſtinus, quę à uobis in ueſtræ fidei confeſſione recipi gaudeo, modò id nõ fictè, ſed ex animo fiat. Cui ſi credere uolueris, non dubito quin in noſtra caſtra tranſibis, imò redibis, noſtramq́; de libero arbitrio, & bonis operibus ſententiam, imò Romanæ Eccleſiæ fidẽ, quę, ut ait Pelagius, huius eccleſiæ inimicus, in illius ſummi uiri ſcriptis præcipuè relucet, denuo cõplecteris. Nã cuiuſuis eſt hominis errare, nullius niſi inſipiẽtis perſeuerare in errore. Sed ut ad propoſitum reuertamur, hanc noſtram fidẽ Ambroſius ſuo teſtimonio mirè confirmat, cùm in epiſtolam ad Timoth. ita ſcriptum reliquit: Si Deus, qui eſt omnipotens & dicitur, uult omnes homines ſaluos fieri, cur nõ impletur eius uoluntas? Sed in omni locutione ſenſus eſt, cõditio latet. Vnde dicit Petrus Apoſtolus. Omnis ſcriptura

In 1. ad Timo. ca. 2.

indiget

indiget interpretatione. Vult enim Deus omnes ſaluos fieri, ſed ſi accedant ad eum. Nō enim ſic uult ut nolentes ſaluentur, ſed vult impios ſaluari, ſi & ipſi uelint. Et alibi: Non eſt quòd cuiquā noſtram adſcribamus culpā, niſi noſtræ uoluntati. Nemo tenetur ad culpam, niſi uolūtate propria deflexerit. Non habent crimen, quæ reluctātibus inferuntur, uoluntaria tantùm cōmiſſa ſequitur delictorū inuidia, uoluntarium ſibi militem Chriſtus legit, uoluntarium ſibi ſeruū Diabolus auctionatur. Neminem iugo ſeruitutis aſtrictum tenet, niſi ſe prius peccatorum ære ei uendiderit. Quid carnem quaſi infirmam accuſamus? Membra noſtra arma ſunt iniquitatis, & arma iuſtitiæ. Itē in libro De vocatione gentium; Primitus, inquit, de uoluntatis humanæ motibus & gradibus diſpu tandū eſt. Inter quam & gratiam Dei quorundam non ſana diſcretio eſt, exiſtimantiū quòd prædicatione gratiæ liberum negetur arbitrium, nec aduertentium eadem regula obiici illis poſſe quòd gratiam negent, cùm eam humanæ uoluntatis non ducem, ſed comitem eſſe uolunt. Si enim uoluntas tollitur, ubi ipſa eſt uerarum origo uirtutum? Si tollitur gratia, ubi eſt bonorum cauſa me ritorum? Ambroſij ergo ſententia eſt, ad

bona

bona opera faciendũ non modò gratia Dei, ſed etiã humana uolũtate opus eſſe. Quid? Nonne idem in hoc ipſo libro perſpicuè docet, ob originale peccatum in homine liberum arbitrium non periiſſe? Non fidat homo uiribus, inquit, ſuis, quæ etiã cùm eſſent integræ, non ſteterunt, ſed per illũ quærat uictoriam, qui ſolus non eſt victus, & omnibus uicit. Et ſi quærit, non dubitet quærendi affectum ab illo ſe accepiſſe quem querit. Nec quia ſpiritu Dei agitur, ideò ſe putet liberum non habere arbitrium, quod nec tunc quidem perdidit, quando Diabolo uoluntate ſe dedit, à quo iudicium uoluntatis deprauatum eſt, non ablatum. Et in ſecundo libro, Virtus, inquit, nolentiũ nulla eſt; nec poteſt aſſeri uel fidem, uel ſpem, uel charitatem eis ineſſe, quorum ab his bonis conſenſus alienus eſt. Quid poteſt euidentius, quid apertius dici, ut uirtutis ac uitij origo monſtretur? Quæ cùm ſit humana uoluntas, nunquam iuxta Ambroſij ſententiam hac repugnante, uirtus in homine locum haberet. Sic igitur noſter Ambroſius liberum affirmat arbitrium, ut gratiæ Dei non deroget; ſic gratiam prædicat, ut liberum non tollat uoluntatis arbitrium. Cuius ſummi uiri ſi ſequereris exemplum,

non

non alterum tolleres, ut alterum confirmares, imò euerteres. Vt enim liberum arbitrium ſine gratia nihil æterna uita dignũ poteſt, ita gratia ſine libero arbitrio nihil efficax non eſt.

ATHANASII TESTIMONIVM.

VEniamus ad illud Græciæ Lumen Beatum Athanaſium, eiuſq. ſententiam noſtro iungamus Ambroſio, ut quod hic in Occidẽte ſenſit & docuit, ille in Oriente eodem ſenſu, quia eodem ſpiritu tradidiſſe uideatur, ut quorum una fuit fides, eorum intelligatur eadem dogmatum fuiſſe conſenſio. Quis neſciat Athanaſij fidem, fortitudinem, conſtantiam toto terrarũ orbe fuiſſe celeberrimam? Qui cùm eſſet Catholicæ Religionis ac fidei propugnator acerrimus, in eumq. ob ueritatis ſtudium, non ſolùm hæretici, ſed etiam Imperatores & exercitus coniuraſſent, Orientem atque Occidentem fidei conſtantiæque ſuæ laudibus illuſtrauit. Non eſt mihi propoſitum ſummi clariſſimique uiri prædicare uirtutes, quas tot ſæculis miratus eſt orbis, ſemperque mirabitur. Hic igitur talis ac tantus contra idolorum uanitatem orationẽ ſcripſit egregiam, in qua de libero uoluntatis arbitrio

Athanaſii laus.

differuit,

diſſeruit, cùm de natura animæ poſt originale peccatum, ita ait: Nam cùm mobilis agiliſque naturæ ſit, etſi ſe à motu auerterit, non quieſcit tamen. Mouetur igitur, ſed iam non ſecundum ueritatem, neque Deum ſpectat, ſed res nihili, eaſque ueras ac ſolidas arbitrata eſſentias, uires ſuas occupat, iiſq. ad eas quas commẽta eſt uoluptates abutitur, ideo quòd libera ſit & ſui arbitrii. Quæ cùm liberum ſui ius arbitriumq. intuetur, & ſentit ſe corporeis membris in utramque partẽ uti poſſe, tum ad ea quæ ſunt, tũ ad ea quæ non ſunt, &c.

De libero uoluntatis arbitrio quid clarius dici poteſt? Idem in eadem oratione aliquãto inferius, Peccata non à Deo, ſed ab hominibus fieri luculẽter oſtendens: Nullum inquit malum nec à Deo, nec in Deo, nec ab initio extitiſſe, neque ullam eſſe eius ſubſtãtiam, ſed homines per priuationem imaginãdi, cogitandique boni ſibi illud quod malũ eſt inceperunt comminiſci. Quid in ſymbolo, quod in quinto ueſtræ confeſſionis articulo tanquam legitimum, Deique uerbo cõueniens approbatis? Nonne in ipſo ſtatim eius exordio libertatem uoluntatis oſtẽdit, dicens: Quicunque uult ſaluus eſſe, ante omnia opus eſt ut teneat Catholicam fidẽ?

Qui ita loquitur, is profectò non dubitat quin homines ſalutem aut uelle aut nolle poſſint pro libero uoluntatis arbitrio. Quid adferent aduerſarii, cur hoc Athanaſii teſtimonium reiiciendum putent? Nonne hæc eorum in ſua confeſſione uerba ſunt? Tria ſymbola, ſcilicet Apoſtolorum, Nicenum, & Athanaſii, quoniam cum Dei uerbo rectè conueniunt, recipimus & probamus. Fatentur ergo, cùm Athanaſius diceret, Quicunque uult ſaluus eſſe, illum rectè dixiſſe, nec a uerbi Dei regula deflexiſſe. Crede igitur & tu frater matrem Eccleſiam rectè, & ſecundum regulam uerbi dei loqui, cùm ait nos uoluntatis noſtræ poteſtatem habere, quod liberum uocamus arbitrium.

HILARII TESTIMONIVM.

VEniamus ad Latini ſermonis tubã, Galliæq́. noſtræ lumen Hilarium, cuius fides ac uirtus cum inſigni eruditione doctrinaque coniuncta, orbi Chriſtiano quõdam miraculo fuit, quique Gallicanam eccleſiam pro qua ab Arianis multa perpeſſus eſt, illuſtrauit. Hic de libero uoluntatis arbitrio nõ ſemel, ſed ſæpius loquens, ne latum quidem unguem hac in re à Romanæ fidei puritate

diſceſsit,

diſceſsit, quemadmodum eius ſcripta manifeſta ea. In Commentariis in ſecundum pſalmum ſcribit his uerbis: Deus unicuique noſtrum libertatem uitæ ſenſumque permiſit, non neceſsitate alterutrũ afficiens, ut unũquodque ex natura bonum malumve eſſe lex cogeret, ſed qui nos per beneuolentiam utendæ beatitudinis ſuæ creaſſet, profectũ nobis ad id meritum uitæ innocentis honeſtæque conſtituit. Quid autem honoris ac præmii bonitatis neceſsitas mereretur, cùm malos nos eſſe, uis quædam nobis conſerta non ſineret? Voluntati ergo permiſſa bonitas eſt, ut præmium ſibi uoluntas bonitatis acquireret, ut eſſet nobis æternæ huius beatitudinis profectus atq. uſus ex merito, nõ neceſſitas indiſcreta per legem. Et quanquã nos ad uoluntatẽ bonitatis, id eſt, ad bene honeſteq. uiuendum, per ſpem promerendæ & utendæ ſuæ bonitatis illiceret, pœnã tamen deuitatæ & contemptæ bonitatis adiecit. Vt cùm libertatem nobis uoluntatis ad bonitatem promerendã reliquiſſet, quia meritum neceſſitas naturæ non haberet, libertatem ipſam quotidie propoſitus è contrario pœnæ terror argueret. Atque ita & per rationem æqui atque iuſti ad meritum præmii permiſſa libertas eſt, & per bonita-

tem

tem Dei uis libertatis metu conſtitutionis arctata eſt, ut bene uelle meriti ſpes moueret, malum nolle propoſitæ ultionis pœna ſuaderet. Egregia ſanè ſententia, ex qua non modò nos habere libertatis arbitrium, uerùm etiam cur illud habere neceſſe ſit, perſpicuum eſt. Nam ſi libero uoluntatis arbitrio careremus, quid honoris inquit ac pręmii bonitatis neceſſitas mereretur? Voluntas ergo noſtra hinc præmii magnitudine ad bonum incitatur, inde à malo ſupplicii metu deterretur. Neceſſitas autem, quæ omnē meriti occaſionem funditus tollit, locum hic habere non poteſt. Nec diſsimile eſt illud quod idem in Pſalm. 18. ſcriptum reliquit. Vnicuique, ait, ad id quod uolet uia eſt propoſita uiuendi & appetendi, atque agendi permiſſa libertas. Et ob id uniuſcuiuſq; aut pœna aut præmiis afficietur electio. Qui huius ſummi uiri opera legere uoluerit, is in hanc ſententiam multo plura reperiet. Hæc ad confirmandam noſtram de uoluntatis libertate ſententiam ex uno Hilario ſatis multa ſunt. Nunc ad Cyrillum ueniamus.

CYRILLI TESTIMONIVM.

NOn receſſit à ſuperiorū quos enumerauimus ſentētia Beatus Cyrillus, Roma-

næ fidei columna firmiſsima, quemadmodũ ex tertio in Iulianum apoſtatam libro perſpicuum eſt. Voluntaria, inquit, bene agendi libertate conueniebat hominem inſigniri, & electionis liberè declarari fructum in bonis operibus dexteritatem. Et alibi in eodem libro: Valde puerile eſt quod dicit, ſcilicet Iulianus, non potuiſſe eum amicorum ſuorum propoſita mutaſſe. Oblitus enim mihi uidetur, tametſi ſæpius audierit, quòd homo ſit ſui iuris, uoluntariè vadens ad quodcunque ſibi libuerit. Ita bene habere gloriam opificis uniuerſi, ut & qui bene operari uoluerint, laudandi ſint, & qui diuerſam inierint uiam, uituperandi iuſtè ab omnibus. Sentit ac dicit hominem ſui iuris ac liberum eſſe, ut & bene agere poſſit & malè, cuius ſalus partim ex ipſius uoluntate pendeat. quẽadmodũ & Chriſtus cuidam adoleſcẽti perſpicuè oſtendit, dicens: Si uis ad uitam ingredi, ſerua mandata. Si uis, inquit, non ſi Deus uult. Quis ergo ex his non intelligat illum adoleſcentem fuiſſe liberæ uoluntatis, ſine qua ſalutem conſequi non poſſet? Deus enim neminem ſeruat inuitum. Cognata ſunt his quæ idem Cyrillus in illud Ioannis ait: Hoc eſt autem iudicium, quia lux uenit in mundũ, &c. Liberum, inquit, hominis iudicium

dicium his uerbis oſtendit, qui ad alterutrũ ſecundum animi ſui iudicium poteſt proficiſci. Sic enim iuſtè laudẽ, ſi bene agimus; & contrarium, ſi malè committimus, inueniemus. Hoc per prophetam etiam quendam dicit: Si uolueritis,& audieritis me,bona terræ comedetis. quod ſi nolueritis,neq. audieritis me, gladius vos deuorabit. Item in quarto libro: Non poſſumus ſecundum eccleſiæ ueritatiſque dogmata liberam poteſtatem hominis, quod liberum arbitrium appellamus,ullo modo negare.Ita iuſti quidem præmiis propter iuſtitiam afficiuntur, qui uerò malè uixerint, non iniuria puniuntur. In nono quoque eiuſdem operis libro cap. 10. idẽ dicitur. En quatuor a veſtris recepti ueſtri Doctores opinioni ueſtræ directè contrarij, eccleſiæ noſtræ, quam propterea quòd idem quod illi credit & docet, temerè damnatis erroris, fidẽ atque ſententiã tuentur atq. approbant. Hęc fortè ſatis multa, ſed quoniã magnopere cupio mi frater ut ueritatẽ agnoſcas,ex abũdanti celeberrimũ quenq. atque antiquiſſimũ eccleſiæ doctorẽ in mediũ adducere non grauabor: ut quod mea,imò totius eccleſiæ catholicæ auctoritas non poteſt, hoc tot tantorumq. uirorũ conſenſus efficiat, erroremq. tuũ,quẽ

ab illis toties iugulatum uides, tanquam ſcópulos fideique naufragium fugiens, in ueritatis tutiſſimo portu acquieſcas.

TERTVLLIANI TESTIMONIVM.

IVngatur ſuperioribus Tertullianus, qui in libro De exhortatione caſtitatis: Cùm vtrunque ex præceptis Dei didicerimus, inquit, quid uelit, & quid nolit, iam nobis eſt uoluntas eligendi alterum, ſicut ſcriptũ eſt: Ecce poſui ante te bonum & malum.

CYPRIANI TESTIMONIVM:

BEatus quoque Cyprianus in procemio libri de præcipuis operibus Chriſti conſentit ita dicẽs: Hoc ipſum quod dicó carnis affectus, impropriè dico, quia hæc uitia propriè animæ ſunt, quæ ſentit & mouet, & uiuit, cui imputatur peccatũ, quia ipſi datũ eſt arbitrium & iudicium, & ſcientia, & potẽtia, per quę poſſit improbare malũ, & eligere bonum. Corpore autem ſic utitur anima ſicut faber malleo uel incude, in qua format omnium turpitudinũ idola, & fabricatur quæli bet quarumcunque uoluptatum ſimulacra. Non eſt caro dictatrix peccati, nec inuentrix malitiæ, nec cogitatus format, nec diſponit agenda, ſed officina eſt ſpiritus, qui in ea re, & per eam quæcũque affectauerit, peragit.

IRENAEI MARTYRIS TESTIMONIVM.

CYpriano Irenæus martyr antiquior eiuſdem fidei ſententięq́. fuit in quarto aduerſus hæreſes libro ita ſcribens: Homo rationalis, inquit, & ſecundum hoc Deo ſimilis, liber in arbitrio factus, & ſuæ poteſtatis, ipſe ſibi cauſa eſt, ut aliquando quidem frumentum, aliquādo uerò palea fiat. Et in 17. eiuſdem libri capite idem uerbi Dei auctoritate confirmans, his utitur uerbis. Quod Chriſtus ait, Quoties uolui cōgregare filios tuos, & noluiſti: ueterem legem libertatis hominis manifeſtauit, quia liberum eū Deus fecit ab initio, habentem ſuam poteſtatem, ſicut & ſuam animam, ad utendum ſcientia Dei uoluntarie, & non coactum à Deo. Vis enim à Deo non fit, ſed bona ſentētia adeſt illi ſemper. Et propter hoc conſilium quidē bonum dat omnibus, poſuit autem in homine poteſtatem electionis, quemadmodum & in angelis.

ORIGENIS TESTIMONIVM.

ORigenes quoque multis in doctiſsimorum operum ſuorum locis liberum hominis oſtendit arbitrium, quemadmodum in Commentariis in epiſtolam ad Romanos 3. Vnuſquiſque, ait, in manu ſua habet & in ar-

bitrii poteſtate, ut aut peccati ſeruus ſit, aut iuſticiæ, &c. Item in Homil. 12. in librum Num. Obſerua, inquit, quomodo dixerit Propheta, Et nunc Iſrael quid Dominus Deus poſcit à te? Erubeſcant illi hæc uerba qui negant in homine liberum arbitrium: Quomodo poſceret ab homine Deus, niſi haberet homo in ſua poteſtate, quod poſcēti Deo deberet offerre? Sunt ergo quæ dantur à Deo, & ſunt quæ præbentur ab homine. Verbi gratia, in uno homine ſunt, ut una mi na faceret decē minas, aut una mina faceret quinque minas: ex Deo autē fuit, ut haberet homo minā. Et in eūdem librum Homil. 20. Sui, inquit, arbitrij eſt anima, in quā uoluerit partē eſt ei liberum declinare, & ideo iuſtum Dei iudicium eſt, quia ſpōte ſua ſiue bonis, ſiue peſſimis monitoribus paret. Quibus uerbis Dei iuſtitiam aduerſus eos qui liberū negant uoluntatis arbitrium, defendit. Con ſequens enim eſt, quod eruditiſſimus uir facillimè intelligebat, ſi homo non habet arbi trij libertatem, qua aut bene agere poſſit, aut malè, eum à Deo puniri iure non poſſe, quemadmodum nec bruta animantia puniū tur. Quod cùm uideret Origenes, liberum multis in locis defendit arbitrium: ut in epiſtolam ad Corinth. & in 1. libro περὶ ἀρχῶν.

Illud,

Illud, inquit, definitum eſt in eccleſiaſtica prædicatione, omnem animam eſſe rationalem, liberi arbitrii, & uolũtatis. Quem librũ ſi legere uolueris, multa in hanc ſententiam præclarè dicta reperies.

BASILII MAGNI TESTIMONIVM.

QVid magnus ille Baſilius, in quo ita uirtus egregia cum incredibili doctrina eloquentiaq́. certauit, dubium ut ſit, utrũ is ſanctior, an doctior, an facũdior fuerit Extat etiam nũc eius oratio, ὅτι οὐκ ἔστιν αἴτιος τῶν κακῶν ὁ θεός. qua elegãtiſsimè oſtendit, Deũ non eſſe malorum auctorem, hominem autem peccatorem ac malum eſſe, non à Deo neſcio qua neceſsitate compulſum, ſed libero uoluntatis arbitrio. Eius hæc uerba ſunt: ἀρχὴ γὰρ καὶ ῥίζα τῆς ἁμαρτίας, τὸ ἐφ' ἡμῖν, καὶ τὸ αὐτεξούσιον Id eſt, Principium radixq́ue peccati in nobis eſt ipſum liberum arbitriũ. Et paulò pòſt, cùm de mundi calamitatibus, atque naufragiis, aliiſq́ue quæ uulgo mala dicuntur, diſſeruiſſet, adiecit: τὸ μὲν οὖν κυρίως κακὸν ἡ ἁμαρτία, ὅπερ μάλιστα ἐστὶ τῆς τοῦ κακοῦ προσηγορίας ἄξιον, ἐκ τῆς ἡμετέρας προαιρέσεως ἤρτηται, ἐφ' ἡμῖν ὄντος, ἢ ἀπέχεσθαι τῆς πονηρίας, ἢ μοχθηροῖς εἶναι. Malum propriè pecca

tum eſt, quod hac appellatione uerè dignū à noſtra uoluntate pendet. In nobis etenim ſitum eſt, uel abſtinere à malitia, uel improbis ac malis eſſe. Itē aliquanto inferius: ἀρετὴ καὶ κακία ἐκ προαιρέσεως, καὶ οὐκ ἐξ ἀνάγκης γίνεται· προαίρεσις δὲ τῶν ἐφ᾽ ἡμῖν ἤρτηται. τὸ δὲ ἐφ᾽ ἡμῖν ἐστὶ τὸ αὐτεξούσιον. Virtus & uitium ex uoluntate non ex neceſſitate perficitur. Voluntas autem ab iis pendet, quæ in nobis ſita ſunt. Quod uerò in nobis ſitum eſt, id eſt liberū arbitrium. Item paulò poſt: πόθεν πονηρὸς ὁ ἄνθρωπος; ἐκ τῆς οἰκείας αὐτοῦ προαιρέσεως. Vnde malus & iniquus eſt homo? Ex ipſius libera uoluntate. Eſt & altera eius oratio, περὶ τοῦ αὐτεξουσίου, id eſt, de libero arbitrio, in quo uoluntatis libertatem ita oſtendit, ut gratiam Dei neceſſariam homini eſſe demonſtret. In cuius orationis exordio ita loquitur: τὸ γὰρ ἐν τῇ τοῦ ἀνθρώπου δυνάμει αὐτεξούσιον ἐπὶ τὸ ἐλέσθαι, ἢ μὴ ἐλέσθαι τῷ διαβόλῳ ἀντιστῆναι κεῖται. Liberū illud, quod in poteſtate hominis eſt, arbitriū in eo ſitū eſt, ut aut velis, aut nolis reſiſtere diabolo. Longè conſideratiùs dicit Baſilius, quàm tu frater. Nam ita neceſſitatem auxilij gratiæ Dei ponis, ut id quod iuuandum eſt tollas, ille uerò, & quod iuuat, & quod iuuari neceſſe eſt ſimul aſſerit. Sed quæro ex te, ſi

non

non eſt liberum uoluntatis arbitrium, quis gratię Dei locus eſt? Cur datur gratia? Quid tandẽ eius auxilio ſubleuatur? Si gratia ueniens liberum tollit arbitrium, non eius adiutrix, ſed inimica eſt, tantũ abeſt, ut ei aliquid boni conferat. Qui auxilii mentionẽ facit, is aliquem adiuuandum eſſe commemorat, quo ſublato ſuperuacuum auxilium eſt. Baſilius ergo ita gratiæ Dei neceſſitatẽ oſtendit atque defendit, ut liberũ non tollat arbitrium, ad quod iuuandum gratia neceſſaria eſt. Tu uerò ita loqueris, ut uideo, ac ſi diceres: Rex Francorũ nullus eſt, is tamen Regis Hiſpaniarũ eget auxilio. Porrò ſi rex in Gallia nullus eſt, falſum eſt, Galliæ regẽ auxilio indigere, quod ei qui non eſt, dari non poteſt. Bona igitur eſt hæc conſequentia: Rex Francorum indiget auxilio regis Hiſpaniæ, eſt igitur aliquis Francorum rex. Eodem modo ex ſcripturæ uerbis argumentandum eſt, cùm dicitur liberum uoluntatis arbitrium Dei auxilio indigere. Ex quo ſequitur eſſe liberũ arbitrium uoluntatis. Veſtrorum autem concionatorum, imò impoſtorum, argumentũ, quod ex neceſſitate auxilii Dei ſumtũ eſt, æquè captioſum eſt atque iſtud: Rex Francorũ eget auxilio, nullus eſt igitur rex Francorum. Eodem modo

iſti: Liberum hominis arbitrium Dei auxilio indiget, nullum eſt igitur liberum hominis arbitrium. Ex iis quæ non ſunt contraria, ita argumentantur, ac ſi eſſent cõtraria, ut ſi dicerent: Si nox eſt, dies non eſt. Porrò auxiliũ ei qui iuuatur, neque contrarium eſt, neque inimicum, ſed potius amicum atque conſentiẽs. Diſce igitur, frater, ubi auxilio opus eſt, ibi qui eo indigeat eſſe neceſſariò. Relatiua enim ſimul eſſe neceſſe eſt: ut ſi filius eſt, patrem quoque eſſe neceſſe eſt. Itaque ſi gratia neceſſaria eſt, eam rem quæ gratia indiget, atque utitur, eſſe neceſſe eſt. Hoc modo certè ſcriptura accipienda eſt, quam profectò melius intellexit antiquitas, quàm iſti ueſtri nouatores, quemadmodum ex his quæ diximus perſpicuum eſt.

CHRYSOSTOMI TESTIMONIVM.

QVid aureum illud eloquentiæ flumen Chryſoſtomus? nonne nobiſcum eſt? Qui cùm in oratione de Chananæa ita dicat: Liberi quippé arbitrii creauit nos Deus, ut uolũtate noſtra cum adiutorio Dei, quod uolumus, faciamus. Et in Geneſ. Homil. 24 Vtriſq; nobis opus eſt, inquit, & quę diuinitus dantur, & quæ à nobis ſunt, ſiquidem diligenter & exactè ſaluandi fuerimus, idq. nõ

ſolùm

ſolùm antea, ſed & nunc quoque etiã ſi magni celebreſq́. fuerimus, diuina gratia opus habemus. Cùm igitur ita dicat Chryſoſtomus, nonne perſpicuum eſt eum ſentire hinc Dei gratia, inde uoluntatis arbitrio opus eſſe, ut inter ſæculi turbines, atque naufragia, ad ſalutis æternæ portum peruenire poſſimus? Alterũ igitur ſine altero ad conſequendam ſalutem parum efficax eſt, ſed utrũque iungendum eſt. In priorem quoque ad Timotheum epiſtolam, ita neceſſitatem gratiæ Dei prædicat, ut liberum minimè tollat arbitriũ. In omnibus, inquit, locis Paulus ſuã iuſtitiam ſupprimit, totumq́. Deo adſcribit, ita tamen ut libertatẽ non tollat arbitrii.

HIERONYMI TESTIMONIVM.

NOſtrum Hieronymum pœnè præterieram, qui in ſecundo contra Iouinianũ libro ſic ait: Liberi arbitrii nos condidit Deus, nec ad uirtutes, nec ad uitia neceſsitate trahimur. Alioqui ubi neceſsitas nec damnatio nec corona eſt. Itẽ alibi: Homines, inquit, ſuo arbitrio derelicti ſunt. Neque enim bonũ neceſsitate faciunt, ſed uoluntate, ut credentes coronam accipiant, increduli ſuppliciis mãcipentur. Et iterum: Deus, inquit, æquali cunctos ſorte generauit, & dedit arbi

trii libertatem, ut faciat unuſquiſque quod vult, ſiue bonum ſiue malum. Intantum autem dedit hominibus libertatem, ut uox impia diſputet contra creatorem ſuum, & cauſas uoluntatis eius perſcrutetur.

THEOPHILI ALEXANDRINI TESTIMONIVM.

HIs affine eſt illud, quod Teophilus Alexādrinus epiſcopus in tertio libro de Paſchate: Non ambigitur, inquit, quin in utranq. partem uel faciendi, uel non faciendi bona habeamus liberam facultatem. Nihil neque breuius neque uerius dici potuit.

IOANNIS DAMASCENI TESTIMONIVM.

QVid Damaſcenus? Nonne in ſecundo de Theologia libro cap. 30. nos Dei cooperatores ac συνεργοὺς eſſe pronūtiat? Ex quo nō oīa in nobis à Deo fieri, ſed aliquid à noſtra quoq. uolūtate proficiſci perſpicuū eſt. cuius hæc uerba ſunt: ἐκτὸς τῆς τοῦ θεοῦ συνεργίας καὶ βοηθείας, ἀδύνατον ἀγαθὸν θελῆσαι ἢ πρᾶξαι ἡμᾶς, ἐφ' ἡμῖν δὲ ἐστὶν ἢ ἐμμεῖναι τῇ ἀρετῇ, καὶ ἀκολουθῆσαι τῷ θεῷ πρὸς ταύτην καλοῦντι, ἢ ἀποφοιτῆσαι τῆς ἀρετῆς· ὅπερ ἐστὶν ἐν τῇ κακίᾳ γίνεσθε, καὶ ἀκολουθῆσαι τῷ διαβόλῳ πρὸς ταύτην καλοῦντι ἀβιάστως; id eſt, ſine Dei coope-

cooperatione, & auxilio impoſſibile eſt nos aut bonum uelle, aut agere. At in nobis eſt inhærere uirtuti, & ſequi Deum nos ad illam uocantẽ, aut deſerere uirtutem, quod eſt in malum prolabi, & ſequi diabolum ad illud uim non inferendo uocantem.

ALIA AVGVSTINI TESTIMONIA.

EX Auguſtino multas ſententias eaſque præclaras ante produximus, ſed tam ardenter abs te ueritatem intelligi cupio, vt cùm lectori ſuperiore diligẽtia ſatisfeciſſe uidear, mihi ſatisfacere non poſſim. Itaq. certas eiuſdẽ auctoris illuſtreſq. ſententias ex abundanti in medium adferam, ex quibus intelligas, ab illo ſic gratiam Dei prædicari, ut liberæ uoluntatis nõ tollatur arbitrium. Sine Deo, inquit, nihil poſſumus facere, ſed ipſe in nobis facit opera, nõ tamen omnino ſine nobis. Cooperatores enim Dei ſumus, ſicut dicit Apoſtolus. Vult ſiquidẽ Deus, vt eũ oremus, & ut ei aduenienti, & præſtolãti ad oſtiũ, aperiamus ſinũ uoluntatis noſtræ, & ei cõſentiamus. Et alibi: Deus odit eos, inquit, qui de ſuis uiribus præſumũt. Quid liberũ poſſit arbitriũ, ſi à Deo non iuuatur, in Adã oſtẽſum eſt. Ex ſe quidẽ ad malũ ſufficit, ſed ad bonũ minimè, niſi iuuetur à Deo.

Lib. in ſcalis paradiſi, cap. 10

De cantico nouo, cap. 8.

Item

Lib. de bono uolunta. cap. 7. Item alibi: Arbitrium uoluntatis humanæ nequaquam deſtruimus, quando Dei gratiam, qua ipſum adiuuatur arbitrium, non ſuperbia negamus ingrata, ſed grata potius pietate prædicamus. Noſtrum enim eſt uelle, ſed uoluntas ipſa etiam mouetur ut ſurgat, & ſanatur ut ualeat, & dilatatur ut cupiat, & impletur ut habeat. Alio quoque in loco, cùm de belli quod in nobis inter ſpiritum & carnem geritur, magnitudine periculoque diſſereret, quàm neceſſarium nobis ſit auxilium gratię Dei ad uictoriam obtinendam, oſtendit his uerbis: Si ad iſtam pugnam de te præſumis, admonendus es, *In Pſal. 143.* ne fruſtrà audieris, Exultate Deo adiutori noſtro. Si enim per te impleres totum, non eſſet neceſſarius adiutor. Rurſus ſi tu ipſe tua uoluntate nihil ageres, non uocaretur adiutor. Adiutor enim aliquid agentem adiuuat. In epiſtola quoque 46. Niſi libero, inquit, arbitrio intelligeremus, & ſaperemus, nō nobis præciperetur dicente ſcriptura: Intelligite ergo qui inſipientes eſtis in populo, & ſtulti aliquando ſapite. Eo ipſo quippe quo præceptum, & imperatum eſt, ut intelligamus atque ſapiamus, obedientiam noſtram requirit, quæ nulla poteſt eſſe ſine libero arbitrio. Sed ſi poſſet hoc ipſum

ſine

ſine adiutorio gratiæ Dei fieri per liberū arbitriū, ut intelligeremus atque ſaperemus, non diceretur Deo: Da mihi intellectum, ut diſcam mandata tua. Huius ſummi uiri, eccleſiæq́. doctoris teſtimonia fortaſſe pluribus uerbis expoſui, ſed quæ ſit eius in hoc negotio fides, tibi planum faciendum putaui. Duo igitur hæreticorum genera tunc erant, quibuſcum ille pugnabat, Manichæi, & Pelagiani. Hi grariam Dei neceſſariam eſſe negantes, liberi arbitij uires ita prædicabant, ut illud ex ſe ad bonum ſufficere dicerent. Illi contrà liberum negantes arbitrium, omnia gratiæ tribuebant. Inter amborum diuerſas pugnanteſq́. ſententias Auguſtinus tāquam inter Scyllam & Charybdim medius incedens, contra hos auxilium gratiæ Dei, contra illos uoluntatis libertatem accuratè defendit. Quem ſi ipſe legeres, nec obſcuris quibuſdam, truncatiſque ſententiis à Luthero, eiuſque farinæ hominibus ad ueritatem inter illas obſcuritates celandam, hinc inde collectis contentus eſſes, uideres illius ſententiam nobiſcum, & cum eccleſia noſtra, quam temerè deſeruiſti, omni ex parte quadrare. Quòd ſi illum legendi laborem fugis, hæc tamen illius teſtimonia, quæ iam expoſuimus, certè ſufficient,

cient, modò ueritatem ex animo quæras. Sunt enim uſque adeò clara & aperta, ut in aliũ ſenſum detorqueri nullo modo poſſint. Et ſanè ex huiuſcemodi locis, in quibus doctores ſuam fidem ſimpliciter aperiunt, & oſtendunt, non ex obſcuris quibuſdam ac difficilibus, quæ ab illis manifeſtioribus explanationem lucemque deſiderant, illorum ſummorum hominum diſcenda ſentẽtia eſt. Plura quidem etiam aliorum doctorum teſtimonia, quibus probatur liberum uoluntatis arbitrium, in medium proferre poſſent; ſed hæc in præſentia ſufficient. Quæ poſtquam euolueris, à te peto, ut tecum in primis prudenter matureq. conſideres, num tutius atque honeſtius ſit, tantorum hominum auctoritatem ſequi, quàm nouorum iſtorum ſiue Stoicorum, ſiue Manichæorum, qui cũ illis antiquis, ſummiſq. doctoribus, nec uitæ merito ac ſanctitate, nec eruditionis atque doctrinæ magnitudine conferri ullo modo poſſunt, abſurdam opinionem amplecti. Deinde illud quoque in mentem tibi ueniat uelim, quàm improuidè, ſtulteque dicebas, noſtram eccleſiam contra Dei uerbum, contra omnem auctoritatem atque rationem, uolũtatis libertatem aſſerere. Tertiò preſsius cogita, num æquum ſit me eam ſequi fidem ac

religio-

religionem, quam in eiuſdem eccleſię caſtris militans, ante me tantus ſanctiſſimorum, doctiſſimorumq. hominum numerus tenuit atque defendit, ne fortè mirandũ putes, quòd ab huius eccleſiæ caſtris ita leuiter, ac temerè, ut tu, transfugere nolo. Verſetur tibi, quæſo, etiam illud ante oculos, quàm incõſideratè illis tuis impoſtoribus credas, credẽdoq. pereas, dum iis aſſeuerantibus neq; uerbum Dei, neque antiquitatem unquam docuiſſe liberum uoluntatis arbitriũ, adeò improuidè fidem habes. Quid de admirabili illo patrum noſtrorum atque doctorum conſenſu dicam? qui inter ſe non ſolùm tot ſpatijs maris atque terrarum, uerùm etiam ſęculis ætatibuſq. diuiſi, in unam tamen eandẽq. fidei concordiam ita cõſpirarunt, ut in idem doctrinæ genus omnes iuraſſe uideantur. Quod à te frater etiam atque etiam animaduerti uolo. Vide Ambroſium Mediolani in Italia conſtitutum, Hilarium in Gallia apud Pictauos, Athanaſium & Cyrillum Alexandriæ in AEgypto, Chryſoſtomum Conſtantinopoli in Thracia, Cyprianum, Auguſtinum, Tertullianum in Africa, Hieronymum in Palæſtina, tantis inter ſe ſpatiis, prouinciis, ætatibuſque diuiſos, in eandem tamen de arbitrii libertate, cæteriſque ad ſalu-

tem pertinentibus,fidem atque ſententiam conſpirare, cùm ueſtri miniſtri, & concionatores non ſolùm eodem tempore uiuentes, uerùm etiam iiſdem prouinciis ac propè iiſdem parietibus clauſi inter ſe conuenire non poſſint. Mentior niſi Lutherus, Melanchthon, & præclarus ille Caluinus, ueſtræ opinionis auctores, & anteſignani, imò uerò ueterum hęreſeon,quas illi patres noſtri atque doctores tot ſæculis antè contriuerant, renouatores, inter ſe uſque ad ultimum ſpiritum de hac liberi arbitrij quæſtione pugnarunt. O incredibilem noſtrorum in fidei ueritate concordiam! O admirabilem aduerſariorum in perfidiæ defenſione diſcordiam! Sed ut hunc locum aliquando concludam, illud, quæſo, tibi frater in mentem ueniat, quod ab Auguſtino, quẽadmodum ſupra oſtendimus, dictum eſt, non eſſe Catholicum eum qui liberum negat arbitrium. Quod idcirco repetendum puto, ut qui illud negas, te ipſe reſpicias, & qui ſis intelligas. Sed de his ſatis multa. Venio nunc ad ea ſcripturæ loca, & ad argumenta, imò ſophiſmata, quibus catholicæ fidei ueritatem oppugnandam putaſti.

EO-

EORVM QVAE AB ADVERſariis contrà dicuntur, refutatio.

BEne habet, iacta ſunt fundamenta defenſionis noſtræ; qua fidei catholicæ ueritatem non ſolùm cum ſcripturæ ſacræ auctoritate, ſed etiam cum ratione, experientia, antiquitate, patrumq. ſententia congruere monſtrauimus. Quod ad eam illuſtrandam reliquum eſt, cùm in ſola eorum quæ contrà dicitis refutatione poſitum ſit, aliquanto facilius uidetur ac planius. In primis igitur negare non potes frater, ea quæ produxi teſtimonia, diuinis literis cõtineri, Deiq. uerbum eſſe. Ego quoque ea ſcripturæ loca quæ in tuis literis attuliſti, pœnè omnia ex eodẽ uerbi Dei fonte ſumpta confiteor. His ita poſitis, uter noſtrum ſcripturæ ſacræ uerbis ſuum uerum atque germanũ ſenſum attribuat uidendum eſt. Nam, ut ait Hieronymus, ſcripturæ non in legendo cõſiſtunt, ſed in intelligẽdo. Vnde igitur ſciemus uter noſtrũ ſcripturas melius intelligat? Illud in primis habeo dicere, noſtrã eccleſiam nec ſine ſcripturarum auctoritate, nec abſque ratione de libero arbitrio docere quod docet. Nam ſcripturæ ſacræ loca quę produximus, de libero uoluntatis arbitrio apertiſſimè *Cõtra Luciferianos*

agere, negari non poteſt. Cur ergo ob alia quędam obſcura ſcripturæ loca, quæ contra meã fidem atque ſententiam, quaſi obtorto collo trahis, me uoluntatis libertate arbitrabor eſſe priuatũ? Cur clariſſimis ſcripturæ ſacræ uerbis credere deſinam, ut abſurdiſſimã opinionem, quã ex obſcuritate ſententiarũ, quas tantùm attingis, quaſi è denſiſſimis tenebris eruis, ac mihi obtrudis, amplectar? Potes & tu ſine dubio à me quęrere, cur opinionẽ tuam abiiceres, noſtramq́. ſuſciperes, cùm & noſtra tibi uideatur infirmior, & tua uerbi Dei auctoritate firmata. Ego uerò in primis illud reſpondeo, me nolle, ut ſcripturæ uerbis, quę produxiſti, ſed ut prauę intelligẽtiæ, falſiſq́. illationibus, & conſequẽtiis, quas ſcripturæ uerbis de tuo adiicis, renuncies. Sed ut non ſolùm de culpa, quã admittis, cũ ſcripturarũ uerba ad eum modũ allegas, uerùm etiam de teſtimoniorum, quę ex eodem fonte produximus, idonea bonitate rectam atque incorruptam poſsis ferre ſententiam, certas tibi rectè interpretãdarum ſcripturarum regulas ante oculos ponam, quas non obſeruare, omnis erroris falſęque opinionis, quæ ex ſcripturis ſumi uidetur, occaſio eſt. Sunt autẽ hæ regulæ adeò rectæ rationi conſentaneæ, ut Chriſtianus ac ueritatis ſtudioſus

ſus eas obſeruādas eſſe, inficiari nullo modo poſſit, neminique ſit dubium, quin omnis ſcripturæ ſacræ contra has regulas facta explicatio, non uerbi Dei interpretatio, ſed euerſio potius habenda ſit.

PRIMA REGVLA.

OMnes ſcripturæ ſacræ libros ad diuinæ maieſtatis honorem & gloriam factos eſſe non dubiū eſt, nihil autem minus quàm ad diuinæ glorię diminutionem, aut ad diuinitatis infamiam. Ex quo lex iſta, & uniuerſalis regula ſequitur: Omnis ſcripturæ ſacrę ſiue explicatio, ſiue allegatio, in eo ſenſu adhibita, ex quo aliquid cōtra diuini nominis gloriā ſequitur: recteq. inferri poteſt, adulterina & falſa eſt, ac proinde reiicienda, aut certè corrigēda, donec alius ſenſus Dei gloriæ conformis appareat. Quòd ſi is qui ſcripturam interpretatur, ex obſcuriore aliquo loco huiuſcemodi ſententiā eruere non poteſt, locum illum exponere nullo modo debet, donec aut aliunde melius intelligat, atque approbet, aut illi Deus meliorem, certioremq. ſententiam reuelauerit, aut certè expectet omnino, donec gloriam Domini reuelata facie contemplabimur, ubi nihil eorum quæ ſcire cupiemus, obſcurum erit, nullus ignorantiæ locus. Interea ſcripturæ ſacræ

maieſtatem admirans, anguſtam humani ingenii ad illa ſumma diuinæ ſapientię capienda myſteria exiguitatē agnoſcat. Cōtra omnis explicatio, in qua nihil eſt, quod ad Dei gloriā, & honorem non pertineat, ferenda certè quidem; ſi uero ad amplificandā, atque retinendā diuini nominis gloriā tendi, ac pertinet, tanquam bona obuiis manibus amplectenda eſt. Vt enim in ceteris artibus, ac diſciplinis, ſi quid contra earū prima principia generaleſq. regulas ſumitur atque concluditur, id ſtatim reiiciendum eſt, atque iugulandū; ita in uera Theologia, quæ docet rectè explicare ſcripturas, quicquid contra hanc regulam, atque præceptū infertur, id ſtatim tanquam peſtis ac uenenum, quod fidei noſtræ fundamēta ſubuertit ac deſtruit, reiiciendum eſt, atque damnandum. Quid hac regula rectæ rationi magis conſentaneū poteſt eſſe? Certè quemadmodum minimè negabis malum atque imperitum ædificatorem, qui ut domus ſuæ tectū faciat, eius fundamenta diruit & euertit, primoſq. lapides, quibus ædificiū nititur, loco mouet; ita mihi facilè concedes, malū fidei architectum eſſe, qui ut nouam aliquam opinionem extruat atque componat, ipſius fidei fundamēta ſubuertit. Quiſquis autem in explicatio-

ne

ne ſcripturarũ aliquid adfert, quod cum diuini nominis gloria pugnat, illiq́. contrariũ eſt, prima fidei noſtræ, ac Theologiæ fundamenta tollit, & euertit, ex quibus certò cognouimus, Deum neque unquã dixiſſe, neque diuinis literis uoluiſſe comprehendi aliquid, quod ad ſui nominis gloriam abolendam, aut certè minuendam, ullo modo pertineret. Quæ cùm ita ſint, cui Chriſtiano, ac pio homini dubium eſſe poſſit, quin huiuſcemodi ſcripturarum non explicator, ſed euerſor, tanquam prodigium aliquod atque portentum, cum ſuis nænijs exterminandus ac profligandus ſit? Dei autem gloria in quo maximè cernitur? Nẽpe in hoc, ut de illius bonitate, ſapientia, potentia, æquitate, miſericordia, φιλανθρωπία, cæteriſq́. huiuſcemodi, omnes homines non ſolùm optimè, atque honeſtiſſimè ſentiant, ſed etiam ſanctis, ac ſinceris opinionibus imbuãtur. Cùm autẽ aliquis ſcripturæ uerba ſic explicat, aut ad ſententiam ſuam confirmandam ita producit, ut ex illius oratione ac ſenſu mala cõtra huiuſcemodi Dei uirtutes, ac ſiniſtra quædam opinio concipi poſſit; ut uerbi cauſa, cùm Deum minus eſſe ſapientem, minus bonum, aut iuſtũ, minus miſericordẽ, atque hominum amatorem inferri poteſt, talis ex-

plicatio unà cum ſuo auctore damnāda eſt. Quamobrem? Quia contra mentē ſpiritus ſancti, ſcripturarum auctoris, cui cùm illa ſacroſancta uerba dictaret, nihil aliud, niſi ut & Dei gloriā illuſtraret, & eius in homines amorem oſtenderet, propoſitum erat, directè concludit. Volebat autem ſpiritus ueritatis ex ſcripturæ libris homines non ſolùm amoris erga ipſos diuini certiores fieri, uerùm etiam intelligere, Deū Optimum Maximum, iuſtiſſimum, potentiſſimū eſſe. Sed quoniam is ſenſus quem ſcripturæ uerbis, quæ abs te contra liberum uoluntatis arbitrium, & bonorum operum merita producũtur, attribuis, cum Dei gloria pugnat, eſtq́ue contrarius, reiiciendus eſt atque damnandus, aliuſq́. in ea ſcripturæ loca quærendus, qui cū diuini nominis gloria quadret, recteq́. conueniat. Vt enim ſuperius oſtendimus, ex ueſtro dogmate ſequitur, Deū neque ſatis ſapientem eſſe, cùm ea homini præcipit quę fieri nullo modo poſſunt, neque ſatis bonum, ac iuſtum, cùm hominem morte afficiat ſempiterna, propterea quòd ipſius præcepta, quæ obſeruari ſecundum uos impoſſibile eſt, non obſeruauit; neque φιλάνθρωπον, hominumq́. amatorem, cum iis illa præcipiat, ut eos puniendi atque perden-

di

di iuſtã occaſionẽ habere uideatur; neque ſatis æquum iudicem, cùm peccata mortis æternæ ſupplicio puniat, uirtutes autẽ nullo prœmio dignas iudicet. hęc omnia ueſtrã opinionem, ſcripturæq́ue expoſitionem ſequuntur neceſſariò. Vnde manifeſtum eſt, ea quæ contra nos produxiſtis ſcripturæ loca, longè aliter quàm à uobis accipiuntur, explicanda eſſe. Porrò quæ à me ad liberi arbitrij probationem ſcripturæ loca teſtimoniaq. producta ſunt, ea neque gloriæ, neque bonitati, neque ſapientiæ, iuſtitiæq. diuinæ repugnantem ſententiam ſecum trahũt. Quare illa quidem ueſtra, tanquam impia, & abſurda reiicienda; hæc uerò noſtra, tanquam Dei gloriæ conueniens, obuiis ulnis excipienda ſententia eſt.

SECVNDA REGVLA.

ET quoniã omnis diuina ſcriptura uerissima eſt, ſibiq. omni ex parte conſentit, nec unquã ſecũ ipſa pugnat, aliud hoc aliud illo loco prędicãs, (eſt enim propoſitioni copulatiuæ ſimilis, quæ ut uera ſit, omnes illius partes ueras eſſe neceſſe eſt) ſequitur, ut in eius explicatione nihil quod alteri loco repugnet ſitq. contrariũ, dicendũ ſit. Neque enim ex uno loco oppugnãdus eſt alius, ſed potius ſi duo loca inter ſe pugnare uideantur,

tur,ea commoda quadam explicatione conciliabit doctus interpres. Sed lõgè aliter hoſtes fidei noſtræ ſcripturæque diuinæ Iudęi, Gentiles, Iulianus aliquis,aut Porphyrius, aut denique hæretici, quorum ſtudium eſt unum ſcripturæ locum ita alteri opponere, vt ea inter ſe pugnare uideantur, ita perfidi ſcripturæ auctoritate ſcripturam conantur euertere. Cùm ergo huiuſcemodi loca in ſcripturis Chriſtianus ac pius lector inuenerit, utraque uera eſſe non dubitans, ſępius ea exponit, ac ſtudiosè uerſat, donec ea explicatio occurrat, quæ quo minus uterq; locus uerus eſſe credatur, minimè impediat. Quod certè faciendum eſſe ne tu quidẽ negabis. Eſt enim hęc regula uniuerſalis, rationique maximè conſentanea, qđ omnes Chriſtiani mihi facilè concedent.

TERTIA REGVLA.

Diligenter quoque conſiderandum eſt, quando in ſcripturis agatur de theſi, quando de hypotheſi, & quãdo hypotheſes diuerſæ circumſtantiæ, generiſque tractantur. Cùm enim in genere de una theſi agitur, quicquid de ea dicitur, unicuique hypotheſi, quæ illa theſi continetur, attribuẽdum non eſt. De una ſiquidem theſi nonnunquam contraria ſine ulla conditione dicuntur,

cuntur,quę de aliqua ſua hypotheſi ſimul di ci non poſſunt. Nec minus ſtudioſè uidendum eſt, ne id quod de aliqua hypotheſi dicitur, alteri diuerſi generis tribuatur: ut uer bi gratia, quod de homine dictum eſt, id ad aſinum equumve referatur, quæ alterius for mæ ſunt diuerſæque ſpeciei. Quid autem ſit theſis, quid hypotheſis, epiſtolaris anguſtia me hoc loco declarare non patitur. Quod ſi cui uidetur obſcurius, rhetorum ſchola perſpicuè oſtendet. Exempli tamen cauſa aliquid ſubiiciam, ex quo quid ſit, intelligi poteſt. Sit igitur hæc theſis, carnes comedere. Quærenti an hoc bonum ſit an non: Reſpondeo, & bonum & malum eſſe poſſe. Sed quantum ad ſuas hypotheſes, & particulares quæſtiones, ſecundum differentiam circunſtantiarũ, à quibus ſeparantur, aliter atque aliter reſpondendum eſt. Nam ſi quæra tur à Paulo, an contra conſcientiam carnes comedere liceat; negabit: at uerò ſi quæras, an contra Moſaicæ legis præceptũ id liceat; licere dicet. Contrà ſi quæras, an à carnibus abſtinendum ſit: uariè reſpondebit. Nam eos qui a carnibus abſtinẽt in contumeliam creatoris, quaſi natura malæ ſint, peccare di cet. Nec aliter de iis pronunciabit, qui à car nibus abſtinent, quòd legem Moyſi obſer-

uandam

Rom. 14. uandam eſſe ſentiant. Porrò ſi quæras, an bonum ſit ad edomandam libidinem, aut ad obediendum eccleſiæ, à carnibus abſtine-
Act. 15. re: bonum eſſe dicet. Ipſe ſiquidem poſt concilium illud Hieroſolymitanum prouincias circumiens, confirmabat eccleſias in fide, præcipiens obſeruari traditiones Apoſtolorum, & ſeniorum, in quibus certus ciborum delectus ab ipſis Apoſtolis inſtitutus eſt. Quid? nonne in epiſtola ad Romanos idem Apoſtolus ait: Bonum eſt non comedere carnes, neque bibere uinum, & quæ ſequuntur? Quem qui ita legunt, ut eius hypotheſes miſceant atque confundant, quodque de una materia dictum eſt, id ad alterius generis quæſtionem referant, neque Apoſtolum unquam intelligent, & illos in ſexcentos errores incidere neceſſe eſt. Idem iſtis uſu uenit, qui cùm ſcripturas legunt, quando hæc materia, quando illa tractetur, non conſiderant, ſed ita omnia turbant atque confundunt, ut quod de uno argumento dictum eſt, id ad aliud non modò differens, ſed etiam contrarium referant. Exempli cauſa: nonnumquam in ſcripturis argumentum de gratiæ Dei neceſſitate, alibi de liberi arbitrij imbecillitate tractatur. Hic de acerrima inter carnem & ſpiritum

pugna,

pugna, & de concupiſcentiæ uiribus, illic de libero uoluntatis arbitrio. Si id quod de vno argumento dicitur, ad alterum transfers, in labyrinthios delaberis errores. Itaque ſuo loco unaquæque materia ſeparatim collocanda, & ſine alterius confuſione tractanda eſt.

QVARTA REGVLA.

IN Diuinis libris ὑπερβολικῶς adeo multa dicuntur, ut cùm de una re agitur, omnium aliarum quæ ab ea pendent, ſcriptura oblita eſſe uideatur. Exempli cauſa ſit illud Pauli, in quo fidem laudat, & prædicat, eiuſque neceſſitatem ita oſtendit, ut omnium aliarum uirtutum memoriam abieciſſe uideatur, neque bonorum operum, neque ſpei, neque charitatis ullam mentionem faciendam putet. Quem Apoſtoli morem qui non conſiderant, errandi occaſionem inde ſumpſerunt, ut fidem ſolam ſufficere arbitrarentur. Atenim ſi iſti, quid alibi Apoſtolus dicat, conſideraſſent, quæ ſit illius de bonis operibus, & de charitate ſententia, intellexiſſent. Illius enim uerba ſunt: Si omnem fidem habuero, charitatem non habuero, nihil mihi prodeſt. Et alibi: In Chriſto Ieſu neque circunciſio aliquid ualet, neque præpucium, ſed fides, quæ per dilectionem opera-

Hyperbole in ſcripturis frequens.

1. Cor. 13.

Galat. 5.

operatur. Ita cùm idem Apoſtolus de liberi arbitrii imbecillitate, de acerrima illa carnis impugnatione, de gratiæ Dei auxilio, & neceſſitate loquitur, ita uehemẽter ac ὑπερβο-λικῶς aliquando agit, ut liberi arbitrij quodam modo oblitus eſſe, illudq́. ad bona opera nihil habere uirium aſſeuerare uideatur. Qui igitur de arbitrii libertate uult Apoſtoli exploratam habere ſententiam, eam non his in locis, ubi de aliis rebus agitur, ſed in aliis, ubi de libero arbitrio propriè loquitur,

Cap.7. inueſtiget neceſſe eſt. Neq; uerò magna inquiſitionis eſt difficultas. Prior enim ad Corinthios epiſtola ſtatim occurret, in qua, ut etiam ſuprà demonſtrauimus, de libero uoluntatis arbitrio ita perſpicuè Apoſtolus loquitur, ut quid de eo ſentiat, obſcurum eſſe non poſſit. Quid enim aliud hæc uerba ſibi nolunt? Non habens neceſsitatem, poteſtatem autem habens uoluntatis ſuæ. Et illud quoque ſequitur: Itaque & qui iungit uirginem ſuam matrimonio, bene facit, & qui non iũgit, melius facit. Poteſtne aliquid manifeſtius dici, ut uoluntatis libertas oſtendatur, in cuius arbitrio eſt, opus uel bonum uel melius facere? Si ſtultũ eſt ex eo quod quiſpiã de aſino dixerit, quid is de homine ſentiat, uelle cognoſcere, an non æquè ſtultum

eſt,

eſt, ex eo quod Apoſtolus de gratia Dei dixit, quid de libero arbitrio ſentiat, uelle cõprehendere? Quantæ uerò imprudētiæ eſt, ne dicam inſaniæ, ex eo quod aliquis de aſino loquens nullam fecit hominis mentionē; inferre tanquam conſequens, illum exiſtimare, nullum eſſe hominem? Certè non minus abſurdum eſt, ex eo quod Paulus, cùm de gratia Dei ageret, liberum non commemorauit arbitrium, nec de illius uiribus diſputauit, inferre tanquam conſequens, Paulus igitur liberum arbitrium in homine eſſe nō credit. Neque enim hoc illi tum propoſitum erat, ut de uoluntatis libertate diſſereret. Nemo poteſt duo ſimul argumēta tractare. Suus unicuique materiæ locus eſt, nec una alterius confuſione tractanda eſt.

Idem in doctorum, quos rectè intelligere uolumus, lectione obſeruandum eſt. Augustinus tractans liberi arbitrij quæſtionem, gratiæ Dei nullam mentionem facit. Vnde Pelagiani tantum uirum, & gratiæ Dei propugnatorem acerrimū ſecum facere, atque in ſuis caſtris eſſe dicebant. Contrà cùm is de gratia Dei eiuſque neceſsitate diſſerit, tanto diſputationis feruore abripitur, ut liberæ hominum uoluntatis oblitus eſſe uideatur. Ita Hieronymus uirginitatem tan-

 tis

tis laudibus uehit, ut nuptias damnare uideatur, quas alibi probat, & licitas eſſe defendit: iniquum ſcilicet poſtulat, ut æquum ferat. Id quoniam parum attenditur, multa & Auguſtini in liberum arbitrium, & Hieronymi in nuptias falsò citantur. quod qui faciunt, in errorem idcirco lapſi ſunt, quòd ſummorum uirorum ſententiam ex aliis eorum libris diſcere noluerunt. Quos ſi legerent, iis profectò & hic Auguſtini locus occurreret: Liberum arbitrium quiſquis negauerit, Catholicus non eſt: & Hieronymum nuptias approbare non modò primas, ſecundas & tertias, ſed etiam uiceſimas perſpicuũ eſſet. Ita iſti non modò libenter errant, uerùm etiam errori ſuo apud ſummos uiros patrocinium quærunt.

Lib. 3. Hypognoſ.

QVINTA REGVLA.

ILlud quoque magnoperè fugiendum eſt, ne ex ſcripturæ uerbis quæ citaſti, captioſam, ac ſophiſticam inferas conſequentiam. Quã uicioſam eſſe facilè intelliges, ſi ad eũdem modũ alias fingens, eas falſum aliquid cõcludere animaduertis. Dialectica hic prorſus neceſſaria: quæ quoniam à pleriſque aut neſcitur, aut non adhibetur, fit ut diſputatorum, & hæreticorũ fraudibus ſæpe capiantur, quemadmodũ tibi quoque uſu ueniſſe

in iis conſequentibus quæ ex ſcripturæ teſti moniis abs te productis elicere conatus es, inferius demonſtrabimus. Sophiſmatis atq; captiunculis uti nunquam certè licet, cùm id ſit erroris mendaciiq. aſylum: ſed in ſcripturarum tractatione, non furtum illud ſed ſacrilegium, non improbum facinus ſed deteſtandum proditionis ſcelus exiſtimandum eſt. Sic enim & ueritas proditur, & inexpiabili ſcelere mendacium defenditur. Qui ſophiſticè loquitur, odibilis erit.

SEXTA REGVLA.

QVemadmodum in cæteris diſciplinis ad veritatis cognitionem perueniēdi methodus ac uia eſt, à planioribus atque facilioribus ad obſcuriora procedere, ita in ſcripturarum tractatione faciendum eſt. Obſcuriores enim loci à manifeſtis & apertis illuſtrandi ſunt, nō contrà clari & illuſtres à difficilioribus obſcurandi. Exempli cauſa aliquid ſubiiciam, ex quo quid uelim perſpicuè intelligetur. Nihil ad liberi arbitrij confirmationē, etiam poſt originale peccatum, apertiùs dici poteſt quàm illud quod in Geneſi ſcriptum eſt Dominum irato Cain dixiſſe: Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius. Quæ autem contra uoluntatis libertatem ſcripturæ loca producis, *Eccleſ.37*

obſcura ſunt,neque aliquid ad illuſtrandam atque explicandam hanc quam è ſcriptura proferimus ſententiam, lucis adferre poſſunt. Quæ igitur à te ſcripturæ loca produ cuntur,ex hoc illuſtranda ſunt,non contrà. Qui ſciunt quid ſit interpretari, atque explicare ſcripturas, ij quantum habeat æquitatis hæc regula, quamq́ue ſit rectæ rationi conſentanea, facilè intelligunt. Nec aliud ſenſit Auguſtinus, cùm ita ſcriptũ reliquit: Inhærendum eſt iis quæ in ſcripturis apertiſſima ſunt, ut ex his reuelentur obſcura.

Li. de peccat. merit & remiſſ.

SEPTIMA REGVLA.

Auguſt. Epiſt. 7. ad Marcellin.

SEptima regula ex Auguſtini uerbis, quæ ſuprà quoque expoſuimus, ſumitur: Si manifeſtiſſimæ certæq́ue rationi, inquit, uelut ſanctarum ſcripturarum obiicitur auctoritas,non intelligit qui hoc facit, & non ſcripturarum illarum ſenſum, ad quem penetrare non potuit, ſed ſuum potius obiicit ueritati, nec quod in eis,ſed quod in ſeipſo, uelut pro eis inuenit, opponit. Nulla uerò neque certior,neq; manifeſtior ratio,quàm ea quæ ex quotidiana ſumitur experientia. Nihil autem eſt, quòd ſæpius experiamur in nobis,quàm liberum uoluntatis arbitriũ. Neque enim dicere, neque facere aliquid poſſumus, quin uoluntatis experiamur libertatem,

bertatem, quemadmodum initio oſtendimus. Si igitur ſcripturarum teſtimonia perperam abs te producta eſſe, ſi clariſſimam apertiſſimæ rationis atque experientiæ lucẽ à te oppugnari dico, cùm libertatem uoluntatis oppugnas, non eſt quod mihi ſuccenſeas, cùm Auguſtini ueſtigiis inſiſtentem, me hoc dicere ueritas ipſa compellat, quẽadmodum in refutandis allegationibus tuis inferius oſtendemus. Hæc uerò regulæ diligenter notatæ, non ſolum ad intelligendum, ſed etiam ad refellendum errorem tuum plurimum proderunt: ex quibus perſpicuum erit, omnia argumenta tua ſcripturarumque loca, aut contra aliquam iſtarum, aut contra plures aut certè ſimul contra omnes eſſe collecta.

PRIMI SCRIPTVRAE LOCI AB ADVERSARIO CITATI REFVTATIO.

QVod igitur ex Ezechielis cap. 7. primò loco citas, falſum eſt. Neque enim in eo capite ſcriptum eſt omnem hominũ cogitationẽ eſſe malã omni tempore. Cæterùm ſi ita in ueſtris Bibliis ſcriptũ autumas, lege totum illud caput, & de quo rũ hominũ cogitationibus propheta loquatur, intelliges.

Neque enim de quibuſcunque hominibus, ſed de impiis, ſceleſtis, obſtinatis eo loco propheta loquitur, quorum cogitationes ſi quis malas dixerit, cum eo non magnoperè pugnabo. Tu uerò in eam ſententiam profers, ut ad tollendum liberæ uolūtatis arbitrium pertinere uideatur. Quod quàm captioſum ſit, ac ſophiſticum, quis tam cæcus qui nō uideat? Ex particulari ſiquidem aliquid uniuerſale ac generale concludis. Sed faciamus ita ſcriptum eſſe quemadmodum uis, ſcripturæque ſententiam à te religioſiſſimè productam eſſe fingamus. Num erit conſequens, omnes omnium hominum cogitationes malas eſſe? Minimè uerò. Neque enim de omnibus hominibus propheta tū loquebatur. Quod ſi ille dixiſſet, certè piis hominibus in Deumq́ue mente, & cogitatione ſuſpenſis feciſſet iniuriam. Quorum ſi cogitationes bonæ ſanctæq́ue non eſſent, Chriſtus à Magdalena optimam partem electam eſſe non diceret. Quamquam autem illud obtineres, omnes hominum cogitationes malas eſſe, non eſſet tamen conſequens, in hominibus non eſſe liberam uoluntatem. Quod ſanè conſequens eſſet, ſi propheta negaret, aut humanas cogitationes corrigi, aut hominem nihil unquā boni cogitare poſſe. Cùm uerò neq;

Lucæ.10.

hóc ille dixerit, neque illum dixiſſe poſſitis fingere, quæ (malum) hæc eſt ueſtræ frontis audacia? imò quæ inſcitia? quod nouum diſputandi genus? Atq; ut quàm Dialecticę ſis peritus intelligas, uide ne eo prophetæ loco quem ut liberum euertas arbitrium, temerè imperiteque producis, noſtram ſententiam adiuuans, ipſum potius confirmes atque corrobores. Hoc enim eſt conſequens, Hominis cogitationes malæ ſunt: Homo igitur habet liberum arbitrium: Beatus Auguſtinus, melior, ni fallor, Dialecticus quàm tu, uel ego, ad hunc modum argumentatur, ut liberum arbitrium probet: Quis peccat in eo, inquit, quod uitari non poteſt? Peccatur autem, ergò caueri poteſt. Eodem modo ex prophetæ uerbis abs te productis argumentor: Homo, ut dicis, malè cogitat, poteſt igitur id agere, ne malè cogitet. Si id poteſt, habet igitur liberum uoluntatis arbitrium. Vides ut abs te producta ſententia nobiſcum facit, non contra nos? Nobiſcum, ſi rectè argumenteris; contra nos, ſi uicioſè.

Lib. 3. de libero arbitr. c. 17.

SECVNDA REFVTATIO.

NEc minus in citando altero ſcripturæ loco ſophiſticè captioſeq́. agis, quã ſuprà egiſti. Neque enim inter illud quod citas, & illud quod inde concludis atque infers, plus

eſt connexionis quàm inter iſtas duas propoſitiones: Baculus ſtat in angulo, Deus igitur non eſt in cœlo. Sic enim argumentaris: Quod natum eſt ex carne, caro eſt, liberum igitur non habemus arbitrium. Quid poteſt abſurdius, quid ineptius dici? Quis enim animam in qua eſt liberum arbitrium, carnem unquam eſſe dixit? Anima ſiqui-
Luc. 24. dem, ut de ſpiritu Chriſtus ait, carnem & oſſa non habet. Quale eſt igitur hoc tuum conſequens? Quod natum eſt ex carne, caro eſt. Liberum igitur animæ, id eſt ſpiritui, deeſt arbitrium. Neque uerò nunc ſcrupuloſius quid hoc loco caro ſignificet quærendum eſt. Quicquid enim ſignificet, ſatis eſt, quòd ex ea contra liberum uoluntatis arbitrium inferri nihil poteſt.

TERTIA CONFVTATIO.

QVod abs te tertio loco allatum eſt, nihilo magis quàm ſuperiora liberũ oppugnat arbitrium. Quicquid enim de carnis affectu dicitur, nimirum quòd ſit mors, quòd legi Dei ſubiectus eſſe non poſſit, ueriſſimũ eſt. Sed quid ad cauſam? Neque enim libera hominis uoluntas carnis affectus eſt, ſed illa quæ carnis affectui repugnare debet, cui ſi obtemperauerit, moritur. Quis neſciat iſtum carnis affectum legi Dei eſſe contrarium?

Longè

Longè autem aliud eſt liberum uoluntatis arbitrium, cui alterutrum, ut aut legi Dei, aut affectui carnis obtemperet, conceſſum eſt. Neque enim fieri poteſt, ut aut lex Dei carnis affectui, aut carnis affectus legi Dei ſubiectus ſit. Liberum autem arbitriū prout uoluerit, uel huic, uel illi ſeſe ſubiicere poteſt. Vicioſè igitur argumentaris, teq. Apoſtoli locum quem producis, non intelligere probas. Tua ergo concluſio adeò ſophiſtica eſt, ac ſi ex eo quòd ignis eſt calidus, aquam non eſſe frigidam demonſtrare uelles. Tantum enim intereſt inter carnem, & ſpiritum, inter liberum arbitrium, & carnis affectum, quantum inter ignem, & aquam. Ita tertiū ſophiſma tuum haud magno negocio diſcuſſum à nobis, in fumos uaneſcit ac defluit.

QVARTA CONFVTATIO.

NOn minori ſophiſmate quarto loco quā ſuperiore uſus es. Cùm enim dicis: Nō ſumus idonei ex nobis cogitare aliquid boni, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt. Deinde ex eo infers, nos omnino in uniuerſum nihil poſſe, dico te fallere, fraudemque cōmittere, quæ propria ſophiſtarum, à dicto ſecundum quid, ad dictum ſimpliciter uocatur.

Lege Ariſtotelis Elenchos,& quantum hæc fallacia ualeat intelliges. Exempli cauſa hoc à Dialecticis adferri ſolet. Aethiops albos habet dentes,igitur albus eſt. Captioſum argumenti genus ac ſophiſticum, cui tuũ diſſimile non eſt. Cuius fallaciam ut intelligas, age, alia ei ſimilia proferamus in medium. Num igitur conſequens eſt? Mulier abſque uiri auxilio concipere non poteſt, igitur cõcipere non poteſt. Ager niſi ſementem acceperit, triticum producere nequit, triticũ igitur nullo modo producere poteſt. Palmes uuam non fert, niſi in uite permanſerit, igitur nõ fert. Centurio ſine Regis auxilio uincere hoſtem non poteſt, igitur non poteſt uincere. Omnia hæc argumenta tuo ſimilia, captioſa ſunt ac ſophiſtica, tuum igitur huiuſcemodi ſit neceſſe eſt. Hæc non abs re exempla protulimus, quæ ad hanc materiam illuſtrandam maximè pertinent, quibus etiam diuinæ literæ utuntur, Animæ no-
2.Cor.11. ſtræ Chriſti ſponſæ dicuntur. Deſpondi uos uni uiro, ait Apoſtolus, uirginem caſtam ut exhibeam Chriſto, τῷ παραστῆσαι: cui inhæ-
Ioan. 15. remus tanquam palmites uiti: qui ſeipſum
Lucæ 7. uocat uitẽ, & diſcipulos ſuos palmites. Cor-
2. Cor. 9. da quoque noſtra agro, qui uerbi Dei ſemẽtẽ recipit, ſemen uerbo Dei, gratia rori ſiue

humori,

humori, quo ager rigatur ut fructus adoleſcat, non incõgrue comparatur. Quid? Nonne milites Chriſti ſumus, & ut ad uictoriam peruenire poſſimus, atque immortalitatis gloriam conſequi, in acie ſtantes ſpirituali prœlio quotidie dimicamus? Vt igitur neq; mulier abſque uiro cõcipere, neque palmes abſque uite, neque uitis abſque palmite, neque ager ſine ſemine, neq; ſemen ſine agro fructum adferre, neque miles abſque Regis auxilio certam uictoriam adipiſci poteſt; ita neque Dei gratia ſine noſtro ſtudio & diligẽtia, neque noſtrum ſtudium ſine Dei gratia & auxilio bonorum operum fructus adferre poteſt. Vnde diuinitus noſter Auguſtinus: Qui creauit te ſine te, nũ iuſtificabit te ſine te. A creãdis enim hominibus nihil exigit Deus. Quid enim exigeret ab iis qui nõdum erant? A reformandis autem & iuſtificãdis hominibus paſſim in ſcripturis exigit ut credant, reſipiſcant, pœnitentiam agant, ad cor redeant, orent, ut remiſſionem peccatorum & gratiam accipiant. Habes ſuperius Ambroſij ſententiam his uerbis: Vult Deus omnes ſaluos fieri, ſed ſi accedant ad eum. Non enim ſic uult, ut nolentes ſaluẽtur, ſed uult impios ſaluari ſi & ipſi uelint. Vnde Chryſoſtomus quoque nec uoluntatem ſi-

Tomo 10. ſerm. 15. de verbis Apoſt.

In 1. ad Tim. cap. 2.

ne gratia, nec gratiam ſine uoluntate quicquam operari poſſe confirmat. Et Paulus nos
1. Cor. 3. Dei adiutores uocat. Item Euangeliſta Mar-
Marci 16 cus Dominum ſuis diſcipulis cooperantem oſtendit. Quæ omnia & ſcripturarum exempla, & doctorum teſtimonia eò pertinent, ut & fidei noſtræ rationem, & auxilij gratięque Dei in nobis neceſſitatē, & argumentorum, imò ſophiſmatum tuorum fallaciam intelligas. Sed quid dico ruorum? Non enim hæc tua ſunt ſophiſmata, ſed iſtorum qui te quoque ſuis fraudibus captum, adhuc irretitum tenent. Quorum ita deteſtabilem impietatem doloſque ſacrilegos execror, ut tui me ualde miſereat. Ita tuam perniciem meum dolorem amor erga te meus facit.

VLTIMVM SOPHISMA VBERIVS TRACTATVR.

SEd quoniam Dei beneficio te, mi frater, aliquando iſtorum & impoſturā ac fraudem intellecturum, & perfidiam ſaniore cōſilio declinaturum eſſe confido, grandem illuſionum deceptionumq. quibus diſcipulos ſuos fallere conſueuerūt, aceruuum tibi demonſtrare conſtitui; ut quot ex hoc uno ſcripturę loco, Nos ſine Dei auxilio nihil poſſe, ſophiſmata, quot captiones ab iſtis eliciātur, intelligas. Sic ergo argumentari ſolent: Sine

Dei

Dei auxilio nihil potes, nullam igitur bene faciendi poteſtatem habes, aut quod tantũdem ualet, impoſsibile eſt te bene uiuere, uel Dei pręcepta ſeruare. O bone Deus quid audio! Qualis iſta concluſio? qualis Dialectica? An quod Deus poteſt, id tam exiguũ eſt, ut ex eo inferri debeat nos nihil omnino boni poſſe, quia ſine illius auxilio nihil poſſumus? Cùm aliquis tibi dicit te ſine alterius auxilio nihil poſſe, ex eoq. tibi illud impoſsibile eſſe concludit, hoc profectò uidetur dicere, Is ſine quo illud non potes, nihil habet poteſtatis, aut ſi quid habet, minus tàmen habet quàm par eſt, aut certè inexorabilis eſt, neque unquam tibi ſuo fauore auxilioque ſubueniet. Ita ex iſtorum argumentatione ſequitur, Deum aut inualidum atque impotentem, aut adeò inexorabilem eſſe, ut homini opem ferre nunquam uelit. Sed iſtorum argumentum Dialectico more explicemus. Quod ut rectum ſit, hunc modum habeat neceſſe eſt. Sine Dei auxilio homo nihil boni poteſt, Dei autem auxilium ut hominem ad bonum adiuuet, inualidum eſt: aut certè iſto modo, Deus autem homini opem auxiliũve non feret, igitur homo nihil boni poteſt. Sed in hoc argumento aſſumptio ſiue minor falſa eſt, ex quo in hac ratiocinatione cõtra Dei

hono-

honorem & gloriam neſcio quam latere blaſphemiam intelligi poteſt. Hinc enim ſequitur Deum aut minus potentem, aut minus bonum eſſe. Itaque aduerſarij in primam rectè interpretandi explicandiq. ſcripturas regulam peccant. Illud enim hoc loco prætereo, illorum argumentum captioſum ac ſophiſticum eſſe.

Nos igitur melius, & Dei non modò gloriæ, ſed etiam uerbo conuenientius, quàm impoſtores tui, ad hunc modum argumentamur: Sine Dei auxilio nihil poſſumus, omnia ergo poſſumus, neque quicquam nobis impoſſibile eſt. Noſtra namque concluſio hoc fundamento nititur: Deus omnia
Philip.4. poteſt, noſque uult adiuuare. Sic & Apoſtolus Dei bonitatem potentiamque conſiderans: Omnia poſſum, inquit, in eo qui me
Marci 9. confortat. Et Chriſtus in Euangelio: Credenti omnia ſunt poſſibilia. Cur id? Quia Dei auxilium efficaciſſimum eſt. Ex eo igitur quod Dei auxilium nobis eſt neceſſariũ, non impoſſibile aut difficile eſſe bene uiuere, ſed potius id eſſe facile colligendum eſt. Deus enim adeò bonus eſt, ut opem auxiliumq. ſuum, quo nihil efficacius, nihil potentius, petenti deneget nemini.

AD-

ADVERSARII EX VNA EAdemque ſcripturæ ſententia contraria inferunt atque concludunt.

SEd ex hoc uno ſcripturę loco quē ex illorum ſententia non rectè producis, cōtraria ab aduerſariis inferri demōſtrandū eſt, vt hinc eorum argutas fraudes ac dolos clarius intelligas. Quid igitur iſti? Ex hoc, quem diximus, loco bonū modò facile, modò difficile, iā poſſibile, paulò pòſt impoſſibile eſſe definiūt, prout & ad perſuadendū imperitis quod uolunt, eoſq. fallendos neceſſariū, & ad ſtudia conatuſq. ſuos exequēdos id commodum exiſtimant. Quis neſciat eorum cōmunem decantatamq. ſententiā, ſcripturas ſacras intellectu adeò faciles eſſe, ut in iis nihil obſcurū, nihil difficile, quod non ab omni ſexu & ætate legi atque intelligi poſſit? Vnde & nos à ſe iure meritoq. reprehēdi putant, quòd ſcripturā ab omnibus legi nolumus, neq; ut pro arbitrio ſuo ſinguli eam interpretentur explicētq. permittimus. Si igitur ex iiſdē ſcripturæ uerbis, quibus iſti bona opera nobis impoſſibilia eſſe probare conantur, ad eundē modū argumenter, ut ſcripturam intellectu non modò difficilem, ſed

etiam

etiam impoſſibilē eſſe demonſtrem, quid de illorū impoſtura dices? Id uerò mihi longè
Ioan. 15. facillimū eſt iſto modo: Sine Dei auxilio nihil poſſumus. Scripturas igitur intelligere nō ſolùm difficile, ſed etiā impoſſibile eſt. Illud enim mihi facilè concedes, ſcripturæ intelligentiā in bonis iure numerari. Si igitur ex eo, quòd ſine Dei auxilio nihil boni fieri poteſt, bonū ἀδύνατον, impoſſibile eſſe concludis, ſcripturā quoque intelligere, quod ſine dubio bonū eſt, homini impoſſibile eſſe fatearis neceſſe eſt. Longè uerò aliter iſti argumentantur, ſcripturamq. ſacrā non obſcuram ac difficilem, ſed potius planam ac facilem omnibus eſſe pronunciāt, idq. ex eodem loco. Nam abſque Dei auxilio & ſpiritus ſancti munere neque ſcripturæ rectè intelligi, neque alia bona opera fieri poſſunt. Illud iā ab aduerſariis quæro, cur ex uno eodemq. ſcripturæ loco contraria tanquam frigidū & callidū colligunt? Cùm bona opera impoſſibilia eſſe contendunt, ita argumētantur: Sine Dei auxilio fieri nō poſſunt, igitur fieri nullo modo poſſunt. Porrò cum à nobis eodem modo urgentur: Scriptura quoque ſacra ſine Dei auxilio intelligi non poteſt, ergo nullo modo intelligi poteſt: non modo negant iſtud conſequens, uerùm etiā

ex eo, quòd Dei gratiam & auxilium facilè conſequi poſſumus, ſcripturam facilem eſſe concludunt. Quæ igitur paradoxa imò ænigmata cum iſtorũ oratione cõferri queunt? Quis tanta copia & facultate dicendi prędi-tus & inſtructus, quę oratio tam facunda, ut iſtorum imposturam ac fraudem, quibus imperitam multitudinem capiunt, & mendacio fallente decipiunt, cùm ex eadem ſcripturæ ſententia, ex iiſdem Dei uerbis pugnantia inter ſe atque contraria colligunt, ſatis explicet? Non mihi ſi linguæ centum ſint, oraque centum, ferrea uox, omnia technarum percurrere nomina poſſim. Sed non his finibus continetur audacia, nec arguta calliditas paucorum deceptione contenta eſt. Nam ſi aduerſariis reſpondeam: Qui fieri poteſt, ut ſcriptura ſit omnibus adeò facilis atque perſpicua, cum eam à tot ſummis doctiſſimiſq. uiris intelligi non potuiſſe dicatis? ſtatim illud ab iis audiã: Scriptura ſine Dei munere & ſpiritus auxilio intelligi non poteſt, ideoq. ab omnibus comprehendi nequit. Ergo ſecundum uos eadẽ & facilis & difficilis, eadem & perſpicua & obſcura una eademq. ratione monſtratur. Quid cùm miniſtrorum ſuorum, qui monachi fuerunt, continentiamq. quam profeſſi

erant,

erant, ſeruare debebant, ſacrilegas & inceſtas nuptias defendere ſtudent? Nonne ut caſtitatem impoſſibilem eſſe, illoſq. continere non poſſe probent & oſtendant, eodẽ argumento utuntur, quo ſcripturã quoque facile intelligi poſſe contendunt? Itaque hoc modo ratiocinari ſolent: Scripturæ ſententia eſt, hominẽ niſi Dei beneficio ac munere continere non poſſe. Continentia igitur homini impoſsibilis eſt. Quid ais bone uir? Modò aliter loquebaris, cùm ex eo quòd ſcriptura abſque Dei auxilio & munere intelligi non poteſt, eam omnibus facilẽ ac perſpicuam eſſe diceres. Nunc uerò te negas continere poſſe, propterea quòd abſque Dei munere & auxilio continere nemo poteſt. Cur ex una eademq́. ſcripturæ ſententia pugnantia contrariaq́. infers? Nonne metuis ne iſta tua fraus, aſtutia, ſycophantia intelligatur ab omnibus? Sed quoniam ad hanc quæſtionem iſti reſpondere nõ ſolent, ego pro iis reſpondebo. Facilè intelligebamus, inquiunt, iſtos principes adeò callidos non eſſe ut argumentorum noſtrorum fraudem atque fallaciam perſpicerent. Itaque nihil erat quod ueréremur, ne ab iis noſtra proderetur aſtutia. Eorum autem fauor nobis erat neceſſarius, ut uiolato à nobis

conti-

continentiæ uoto, iis tanquam lenonibus, impudicitiæque noſtræ patronis uteremur. Tale uerò patrociniũ uſqueadeò nobis neceſſarium ne ſperandum quidem uidebatur, niſi iis continentiam impoſſibilem eſſe antè perſuaſiſſemus. Alio autẽ modo id illis perſuaderi probariq́ue non poterat quàm iſto, quo uſi ſumus neceſſariò. Nã ſi ita non egiſſemus, omni patrocinio ac præſidio deſtituti non ſolùm in prælatorum noſtrorum manus incidiſſemus, uerùm etiam ab iis iuxta leges atque cõſtitutiones ordinum quos deſerueramus, ſeuerè coërciti iuſtas pœnas ac debitas dediſſemus. Sapientis eſt impendens periculum prudenti uitare conſilio. Vetus quoque ſentẽtia eſt: Nequicquam ſapit qui ſibi nõ ſapit. μισῶ σοφιστὴν ὅστις οὐκ αὑτῷ σοφός. Sed heus tu, itane principes ac nobiles lenones dicendos putas? Ego uerò non accuſatoriè, ſed, ut ille dicebat, Latinè, purè, naturaliter loquor quemadmodũ à matre didici. Qui ab hinc quadraginta annis eam exercebant artem quam iſti modò exercent, ij toto orbe terrarum lenones dicebantur, & erant. Nam ſi quis tum domi ſuæ Veneris officinã ita inſtituiſſet ut in ea ſacerdotibus, monachis, monialibus aliiſve mulieribus lecti cõmunes eſſent, illiq́ue dedicata Deo corpora

Cicero in Verrẽ orat. 7.

uel cum publicarum libidinū uictimis, uel cum alia qualibet muliere nefaria pollutione fœdarēt, nō is Dei Euangeliſta aut Apoſtolus, ſed leno uocabatur, propterea quòd ab eccleſiæ naſcētis exordio uſque ad illa tēpora omnibus Chriſtianis inſitū erat atque perſuaſum, eos qui continentię uoto ſeſe aſtrinxiſſent, neque uxorē ducere, neque liberis operā dare, imò uerò libidini ſeruire ſine ſummo adulterii crimine poſſent, quēadmodū etiā in libro de habitu uirginū Cyprianus oſtendit his uerbis: Dum ornari cultius, dū liberius euagari uirgines cupiunt, eſſe uirgines deſinunt furtiuo dedecore corruptæ, uiduæ antequā nuptæ, nō mariti, ſed Chriſti adulteræ, & quæ ſequuntur. Quales igitur iſtorū nuptiæ ſint habendę perſpicuū eſt. Ego itaque ueram rerum appellationē mutare non didici: ut iis aliud quo indignæ ſunt nomen imponam. Ad hæc iſtis principibus perſuadere operæprecium erat, illos ad intelligendas diuinas literas non minus idoneos eſſe quàm theologos, qui ętatē in earū ſtudio & lectione cōſumunt. Sed quoniā iſti uix literas attigerant, & earū ſtudio incumbere grauabātur, hoc quoque addēdū erat, ſcripturę intelligentiam non ſtudio & labore, ſed Dei munere quod omnibus expoſitū

atque

atque obuiũ eſt, cõparari. Neque enim auarus aut tenax eſt Deus,cuius in omnes beneficia iugiter manant,& affluenter exuberãt.

Sed ſi illi uobis reſpondiſſent: Si Dei munera ita facilè capiũtur ab omnibus, ſi adeò expoſita ſunt quibuſuis atque obuia, cur ergo continentiæ donum uobis difficilius eſt quàm nobis munus intelligẽdi ſcripturas? Si uobis,inquam huiuſcemodi uerbis pincipes reſpõdiſſent,in quas anguſtias uos illorũ cõtruſiſſet oratio? Sed ueriſimile eſt uos iſtud diſcrimen à nobilitate nunquã ueritos eſſe, cuius animos tanto in Theologos, quorũ officium erat defenſio ueritatis,odio uos inflãmaturos eſſe non dubitabatis, ut eos nullo modo dignarẽtur audire. Itaque Theologis (qui ſoli uobis timẽdi uiderẽtur, propterea quòd ii qualia eſſent ueſtra ſacrilega & inceſta coniugia facilè nobilitati oſtendere poſſent) non ratione reiectis, ſed ui repulſis, in principũ animos ita uos inſinuaſtis, ut ii tanquã ueſtri lenones impudicitięq́. ueſtræ patroni illa inceſta ueſtra coniugia ui & armis defenderẽt. Magna eſt,iuxta inclyti oratoris elogiũ, illecebra peccandi impunitatis ſpes. *Pro Milone.* Quã cũ uobis uideretis eſſe propoſitã, nihil erat quod nobilitatis nõ ſolũ patrocinio, ſed etiã armis tecti, uobis ab illis quondã prępo

ſitis ueſtris, nihil quod à monaſterii legibus, nihil quod à cuiuſquã ſeueritate metuẽdũ putaretis. Sed quoniã, ut eſt apud Comicũ:
Improbus eſt homo qui beneficium
Scit ſumere, & reddere neſcit:
ut ingratitudinis, in qua nihil mali nõ ineſt, notam effugiatis, illis ueſtris defenſoribus omnia ſacra & prophana diripienda obtuliſtis. Ita manus manũ fricat, & muli mutuũ ſcabunt. Sed ut ad propoſitum reuertamur, non eſt dubiũ quin is animus, ea mens concionatorũ, imò impoſtorũ ueſtrorũ fuerit, qui non ignorabant, illa quæ diximus, argumenta ſophiſtica & captioſa eſſe, ſed quid diceret nõ curabãt, modò nobilitatis animos in ſuam traherent factionẽ, ut illius patrocinio armiſq́. tuti, uotorumq́. ſuorum ac religionis quam profeſſi erant, abiecto iugo, per omnia licẽtiæ genera liberè uagarentur. Vobis igitur o principes, egregiè illi quidem ex eo quod ſine gratia Dei uota Deo nũcupata ſeruare non poſſunt, continentiã impoſſibilem eſſe probarunt: uos autẽ in eos ita humani fuiſtis, ut illorũ excuſationẽ tanquam æquiſſimam rationiq́. maximè cõſentaneam amplexi ſitis. Nihil eſt tam regium, tam liberale, tamq́. munificum, quàm opem ferre ſupplicibus, fouere afflictos, liberare peri-

periculis homines. Sed ad te redeo mi frater, à teq. peto ut in noſtros ſacerdotes, monachos, alioſq. quoslibet noſtrorum, ſi forte ii bona opera nō faciunt, neque tāta ſunt integritate uitæ morumq. honeſtate ac uirtute præſtantes, quantā ab illis fortè deſideras, pari ac ſimili æquitate uti uelis. Miniſtri ſiquidē ueſtri bona opera non modò difficilia, ſed etiam impoſſibilia eſſe uobis perſuaſerunt, idq. eodē argumento ac eadem ſcripturæ auctoritate qua ſe continere non poſſe comprobauerunt. Quibus cùm fidem habeatis, illorumq. incontinentiā excuſatā habeatis, à te humanitatis iure peto ut quēadmodū iis bona opera nullo modo fieri poſſe aſſeuerantibus credis, ita nobis ignoſcas noſtroſque excuſatos habeas, ſi ea quæ præſtari nullo modo poſſunt, nō præſtātur à nobis. Nihil hac poſtulatione iuſtius, nihil ęquius cogitari poteſt. Deſinãt ergo miniſtri ueſtri in perditos noſtrorū mores inuectiuas orationes ſcribere, nec deinceps in cleri uicia diſerti odioſis atque importunis uocibus perſtrepant, ut factionis ſuæ principes in noſtri odiū inflamment, eorumq. mucrones in noſtrum ſanguinē acuant. Nam ſi noſtri minus religioſè atq; integrè uiuūt, nonne eos cum miniſtris ueſtris excuſari ęquū eſt, cùm

illi uos docuerint eandẽ utrobique non modò difficultatẽ,ſed etiam, ut ita dixerim, impoſſibilitatẽ eſſe? Certè pares utrinque culpæ pari uel ſeueritate damnandæ, uel ueniæ dignæ iudicandæ ſunt. Cur igitur his abſolutis illi damnantur? Nonne ſecundum uos eadẽ utrinque neceſſitas? Quid miniſtris ueſtris humanius? quid benignius? qui propter neceſſitatem neſcio quam ſe uenia dignos, alios autẽ quos iuxta illorũ ſententiã eadẽ neceſſitas ſequitur, non modò indignos, uerùm etiam ſupplicio digniſſimos iudicant. Porrò ſi ſacerdotes ac monachos ob ſuã improbitatem uitæq́. impuritatẽ à ueſtris principibus iure puniri, meritoq́. ſuppliciis, bonorum direptione, morte denique affici exiſtimas, ſi in illos ueſtra factio inaudito crudelitatis ac ſeuitiæ genere iure graſſatur, illud etiã crede, hos probos eſſe, bonaq́. opera facere poſſe ſi uelint. Dum enim hæc ab illis nullo modo fieri poſſe contendis, & tamen in illos propterea quòd ea quę prę ſtari nullo modo poſſunt, ab iis minimè præſtantur, odio inflammatus tanto furore baccharis, uide ne te ipſe crudelitatis, ſæuitiæ atq; immanitatis accuſes, imò te tuo ore condemnes, cùm in his idem punias quod in illis tãquam iure factum laudas atque defendis.

Si factionis ueſtræ miniſtros amore, beneuo lẽtia, fauore proſequeris, cur de noſtris eadẽ ratione non iudicas? Qui ſi bona opera facere nullo modo poſſunt, non crudeliter puniendi, ſed potius miſericordia proſequẽdi ſunt. Si uerò probi eſſe innocentiamq. ſeruare ac bonis operibus operã dare poſſunt, nõ eſt dubium quin ueſtri quoque miniſtri eodẽ modo continenter caſteq. uiuere poſſint, ſi continentiæ munus à Deo petere uoluerint. Omnia quæcunque petieritis patrẽ in nomine meo, ait Chriſtus, dabit uobis. Omnis enim qui petit, accipit: & qui quærit inuenit, & pulſanti aperietur. Scitũ eſt illud Auguſtini: Caſti non ſumus non quia non poſſumus, ſed quia nolumus. Et alibi, cùm illã ſapientis ſententiam explicaſſet, Nemo poteſt eſſe cõtinens niſi Deus dederit: Vtique dares, inquit, ſi gemitu interno pulſarẽ aures tuas, & fide ſolida in te iactarẽ curam meam. Igitur ſi in ſententia perſeuerans noſtros ſacerdotes ac monachos, propterea quòd bona opera non faciunt, à ueſtris principibus iure occidi, boniſq. priuari dicis, ex ea ſcripturę ſententia qua bonum opus fieri nullo modo poſſe probare conatus es, cõtrà facilia eſſe bona opera te iam aſſerere, atque ad hũc modum argumentari neceſſe eſt: Si-

Luc. 11.

De peccat. merit. et remiſſ.

Cõfeſſ. lib. 6. cap. 11.

ne Dei, auxilio bona opera fieri nequeunt, facilia ſunt igitur, non impoſſibilia. Quid enim nobis poteſt eſſe difficile? quid impoſſibile? ſi tale habeamus auxiliũ. Quod cùm noſtri Doctores uiderẽt, lõgè aliter quã uos ex illa quã producitis ſcripturæ ſententia in hunc modũ argumentantur: Sine Dei auxilio nihil poſſumus, omnia igitur poſſu-
Philip. 4. mus. Nec dubitant cum Apoſtolo dicere: Omnia poſſum in eo qui me confortat. Ita quidẽ Paulus, cuius ſententia cũ miniſtrorũ ueſtrorum opinione pugnat δὶς διὰ πασῶν.

Hæc igitur duo in quæſtionem uocanda erant, quid ex nobis abſque Dei auxilio, quid cum illius ope auxilioq. poſſemus. Sine illo nihil, cum illo, ut ait Apoſtolus, omnia poſſumus. Qui cum Dei auxilio omnia poteſt, is profectò aliquid poteſt. Et ſi omnia poſſibilia ſunt credenti, conſequens eſt credentem boni plurimũ poſſe. Quæ cùm ita ſint, animaduertis frater, te à nobis non ſolum exarmatum eſſe, uerùm etiam tuo gladio iugulari. Nam eo ſcripturæ loco quo nos maximè oppugnari putabas, & tuum refutamus errorem, & noſtræ fidei ueritatem oſtendimus. Vides igitur quibus fraudibus ac ſophiſmatis uos miniſtri ueſtri fallãt atque decipiant? Id quoties mihi uenit in

mentem,

mentem, quanto me arbitraris dolore cruciari, cùm te iis fidem habere uideam qui modò hoc modò illud aſſeuerantes, tuo candori tam petulãter illudunt? Hinc enim bona opera ſe facere poſſe negant, propterea quòd illa ſine Dei auxilio nõ habẽtur: inde ſcripturam ſacrã facile ab omnibus intelligi poſſe contendunt, propterea quòd illa intelligentia niſi à Deo non habetur. Et cùm ex eadẽ ſententia facultatem & difficultatẽ inferant, iis tamen credis. Dicunt tibi ſe cõtinere non poſſe, quia id ſine Dei munere fieri non poteſt, ideoq. illos ab impudicitiæ crimine abſoluis, quẽadmodũ ut facias à te petunt, & cùm bona opera à nobis fieri poſſe pernegẽt, quia Dei dona ſunt, nos tamen ſecũ abſolui nolunt, ſed potius gladijs ueſtris interficiẽdos obiiciunt. Tanta eſt in iis ęquitas, tanta humanitatis cõſtantiæq. ratio. Tu uerò frater, illorũ blanditijs ita te dementari ſinis ut pugnantia inter ſe contrariaq. credas, Deum ipſum ſi illi negarent in cęlo non eſſe, forſitan crediturus. O incredibilẽ illorũ calliditatem? o ſingulare fraudis genus, ſumma cum iniquitate, ſæuitia, crudelitate coniunctũ: Neque uerò ignoro te nunquã illorum fraudes & technas ſatis diligẽter cõſideraſſe, quò fit ut minus mirãdum ſit te il-

los dolos ac ſophiſmata nondum ſatis acutè uidiſſe. Sed quoties diuinas literas ab iis adeò callidè tractari animaduerto, quoties illorum argumentorum, imò captionum uenit in mentem, maximè miſereor eorũ quos illi ſic mendacio fallẽte decipiunt. Quę cùm ita ſint, omnes Caluinos, ac Bezas in arenam uocare nõ dubito. Nam apud quemuis iudicem qui quod bonum, quod malũ ac uicioſum argumentum ſit intelligat, omnes iſtorũ conſequentias quibus in tuis literis uſus es, ſophiſticas, fallaces, captioſas eſſe monſtrabo. O magna uis ueritatis, quæ contra hominum ingenia, calliditatem, ſolertiã, contraq. fictas omniũ inſidias facilè ſe ipſa defendat! An non igitur calamitatem tuã iure deploro, cùm te deſertis eccleſiæ caſtris, ac relictis antiquis illis doctoribus ac magiſtris, iſtis animę tuę corruptoribus qui diuinarũ literarũ ſanctitatẽ adeo impiè nefarieq. uiolarũt, addictum, cum transfugis eſſe uideam? Expergiſcere quæſo expergiſcere frater, ſomnoq. iſto negligẽtię ſocordięq. diſcuſſo, quę hic ad te ſcribo mente ſincera diligenter attende, ut illorum impoſturam fraudemq. cognoſcas, eaque perſpecta ad matris eccleſiæ gremium redeas, atque agnitis ueris paſtoribus tuis, in quos tantum odium iniuria concepiſti,

cepiſti, ſalutē tuam credas. Non deerunt uiri ſumma eruditione doctrinaq́. pręſtātes, qui te in noſtra caſtra redeuntem excipiant, ac reliquas illorum impoſtorū fraudes, de quibus hactenus nihil ſuſpicabaris, aperiant, erroribuſq́. tuis patefactis uiā tibi ſalutis oſtēdant. Nonne iam intelligis quam caliginem, quas tenebras illi animo tuo infuderint, ut & contraria ſimul credas, & tecum ipſe pugnes, uerbiſq́. tuis fidem detrahas, dum ea aut uerbis euertis aut factis? Continentiam, quia Dei munus eſt, iis impoſſibilē eſſe credis, probū ac bonum eſſe poſſe neminē exiſtimas, propterea quòd id niſi Dei ope ac beneficio fieri non poteſt. Et quoniā impoſſibilem eſſe uirtutē arbitraris, illos quidem tuo calculo cōprobas & abſoluis, nos uerò, quibus uirtutem æquè impoſſibilē eſſe contendis, dānandos putas. Quæ igitur eſt iſta mentis tuæ caligo? quæ cęcitas? quæ uel Cimmeriæ tenebræ cum hoc faſcino cōferendæ? Iudicium certè tuum & illud acumen ingenii non modò ab ijs retuſum, uerùm etiam ueneno neſcio quo imbutum ac uiciatum ſit neceſſe eſt, ne illorum technas ac dolos intelligere poſſes. Sentio me hoc loco prolixiorē eſſe, ſed dabis amori in te meo ueniam. Salutis enim tuæ deſiderium me epiſtolarem an-

guſtiam excedere, pluribuſque uerbis quàm initio ſtatueram, uti coëgit, ut & aduerſariorum imposturam fraudemq́. perſpiceres, & intellectam deinceps maiore ſtudio uitares ac fugeres. Culpa enim illa, bis ad eundem lapidē offendere, uulgari, ut noſti, reprehenſa prouerbio eſt. Satius eſt recurrere quàm malè currere: παλινδρομῆσαι μᾶλλον, ἢ δραμεῖν κακῶς. Verùm hæc hactenus.

QVINTA CONFVTATIO.

Adhuc Apoſtoli Pauli ſententia niteris quā ex epiſtola ad Philippēſes producis: Deus operatur in nobis & uelle & perficere. unde liberum uoluntatis arbitrium in nobis non eſſe concludis. Sed hoc tuū argumentum haud minus captioſum ac ſophiſticum eſſe quàm ſuperiora, facilè demonſtrabimus, teq́. Pauli locū non bene intellexiſſe planū faciemus, ut deinceps Apoſtolo Petro potius quàm tuis impoſtoribus credas. Illi ſiquidē epiſtolas Pauli facillimas eſſe dicūt.
2.Pet. 3. Sed lōgè aliter Petrus: Chariſſimus, inquit, frater noſter Paulus ſecundum datam ſibi ſapientiā ſcripſit nobis, ſicut & in omnibus epiſtolis, loquens in eis de his in quibus ſunt quędā difficilia intellectu, quæ indocti & inſtabiles deprauant, ſicut & cæteras ſcripturas, ad ſuā ipſorū perditionem. Cuius aucto

ritati ſi fidem habendã putares, numquã in iſtã temeritatem & arrogantiã incideres, ut Apoſtoli uerbis iſtam tuã explicationem tãquam Lesbiam regulã adiungeres: ſed Pauli mentem atque ſententiam ex antiquis patribus, qui locum hunc, quemadmodum inferius oſtendemus, aliter quàm tu explicãt, diſceres. Cęterùm ut quod dicturi ſumus bene intelligas ſecundum regulam rectè interpretandi ſcripturas, quam ſuperius expoſuimus, in mentem reuocare debes memoriaq. retinere, non ſcripturæ partem aliquam, ſed totam ſcripturam amplectendam, eiq́ue toti credendũ eſſe, propterea quòd eius nulla pars alteri parti repugnat, quemadmodum etiam in Deo ſcripturarum auctore non inuenitur eſt & non, aut ulla contradictio. Itaque ſummoperè cauendũ eſt ne ita diuinas literas explicemus, ut è noſtra explicatione aut alterius loci deſtructio, aut aliqua inter ſcripturæ ſententias cõtradictio poſſit inferri. Veſtri certè magiſtri in hanc regulam maximè peccãt. Sic enim pleraque ſcripturæ loca exponunt, ut ea inter ſe tanquam gladiatorum paria committant, ſcripturamq́. ſanctã ſcripturæ auctoritate deſtruant & euertant. Qua in re bonorũ animos uehementer offendunt, dum hæretica licẽtia, ueterũ, qui

ſcripturæ

ſcripturæ loca quæ inter ſe pugnare uiderentur, conciliare ſolebant, expoſitionem prætermittentes, atque calcantes, illud ſolum uidentur habere propoſitum, illud ſtudiũ, ut in ſcripturis aliquid cõtradictionis inueniãt, unũmq. locum alterius peruicaci explicatione ſubuertant. Quod ſanè Iuliani fuerit atque Porphyrij, qui contra ueritatẽ ex profeſſo ſtudioſeq. latrarunt. Porrò tu frater, qui ueritatis inueſtigationi uideris incumbere, cùm aliqua ſcripturę loca producis ut me uoluntatis libertatem non habere confirmes, quid mihi faciundum ſuades? Scripturę ſententiam cum tua expoſitione ſuſcipiam? Sed ſi id fecero, alia clariſſima Dei uerba quæ
Geneſ.4. Dominus in Geneſi loquebatur, Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius: tan-
1.Cor.7. quam falſa reiiciam neceſſe eſt. Quid illam Apoſtoli ſententiam qua hominem ſuæ uoluntatis poteſtatem habere confirmat? num falſam iudicabimus? Sed hoc abſque nefario ſcelere fieri non poteſt. An amplectemur ut ueram? Sed ſententiæ tuæ repugnat. Quid enim his duobus locis clarius ad probandũ uoluntatis arbitrium liberũ, quo non ſolùm cupiditatibus noſtris reluctari, uerùm etiam bonis operibus operam dare poſſumus, adferri poteſt? Hęc equidem ita perſpicua ſunt,
ut

ut nullius hominis ingenio aut arte in alium ſenſum detorqueri ullo modo poſſint. Nam ſi cupiditati, imò uerò ſi appetitui meo repugnare non poſſum, certè mentitus eſt qui id me poſſe dixit. Si uoluntatis meæ nõ habeo poteſtatem, profectò falſa ſunt Apoſtoli uerba quibus eam me habere dicit. Hoc autem non eſt ſcripturam exponere, ſed euertere. Quis igitur ueſtram non miretur audaciam, qua uni aut alteri ſcripturæ loco, imò uerò ei ſententiæ quam pro ueſtro arbitratu ac libidine finxiſtis, tam obſtinatis animis adhærere, illamque adeò pertinaciter defendere conſueuiſtis, ut non ſolùm clauſis oculis omnia alia ſcripturæ loca opinioni ueſtræ repugnantia prætereatis, uerùm etiam quod alibi ſcriptum ſit non curetis? Ita plerique errare malunt, eamque ſententiam quam adamauerunt pugnaciſſime defendere, quàm ſine pertinacia quid uerius ſit exquirere. Sed dicet aliquis: Sic ſcriptum eſt, ipſius Dei uerba produco, cur ergo contradicitis? Ita & quondam diabolus Chriſto dicebat: Scriptum eſt: ipſumq. locum facilè oſtendere poterat: non tamen à Domino illius ueteratoris ac callidi ſcripturæ uerba recitantis ſuſcepta ſententia eſt. Quamobrẽ? Quia hæc alteri ſcripturæ loco repugnabat, quo ꝑſpicuè *Matth.* 4.

dictum

dictum eſt: Non tentabis Dominum Deum tuum. Ad eundem modũ ſi ſexcenta ſcripturæ loca produceres, ut quod in epiſtola tua facere conatus es, uolũtatis euerteres libertatem, citationem tuam peruerſam eſſe dicerem, non quòd ita ſcriptum non ſit, ſed quòd ea mente, eoq. ſenſu quo à te ſcriptura producitur, minimè ſcriptũ ſit. Video ſiquidem ſenſum tuum cum ipſa ueritate, atque adeò cum ſpiritus ſancti mẽte pugnare, quã alibi clariſſimè oſtẽdit, ut cùm dicit: Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius. Multa prætereo, ſed tamen ut hoc illuſtrius
1.*Tim.* 1. fiat, aliud exẽpli cauſa proferam. Pauli uerba ſunt hęc: Soli Deo honor & gloria. Quis negat? Ex quibus uerbis ſoletis inferre nos idolorum eſſe cultores, propterea quòd diuos ueneramur & colimus. Scriptum quidẽ eſſe confiteor, ſed nego illud eo ſenſu quem affingitis, eſſe ſumendũ. Vos enim hanc Pauli ſententiam eſſe cõtenditis, qui quamlibet creaturam quouis modo ueneratur, eum in contumeliam creatoris idolorũ eſſe cultorẽ. Sed iſta ſentẽtia menti Apoſtoli, atque adeò ſpiritus ſancti, quæ in multis aliis ſcripturæ locis ſatis perſpicuè declaratur, manifeſtè repugnat. Is etenim ipſe qui dicit, Soli Deo
Rom. 2. honor & gloria. alibi quoque ait: Gloria, ho

nor

nor & pax omni operanti bonum. Et illud: *1.Tim. 5.*
Qui bene pręſunt presbyteri, duplici honore digni habeãtur. Et ibidẽ: Honora uiduas *Exod.20.*
quæ uerè uiduæ ſunt. Itẽ alibi: Honora pa *Matt. 16.*
trem tuum & matrem tuã. Honora perſonã ſenis. Honora medicũ. Regẽ honorificate. *1. Pet. 2.*
Honore inuicẽ præuenientes. En ſcripturæ ſententias quibus ſeptem hominum, qui dij nõ ſunt, genera colere atque honorare præcipimur, utique ſine contumelia creatoris. Cùm ergo mihi locum hunc Pauli oppoſueris: Soli Deo honor & gloria: ego quoque tibi illa quæ modo protuli ſcripturę pręcepta cantabo, ſcriptumq́. eſſe dicam etiam hoc: Gloria, honor, & pax omni operanti bonũ. Si ſcriptura ubiq. ſui ſimilis ac uera eſt, certè hic falſa eſſe non poteſt. Quid de multis aliis ſcripturę ſentẽtiis dicã, quibus uaria hominũ genera uenerari iubemur? Quas omnes, ſi in eo ſenſu quo uultis accipienda eſt illa Pauli ſententia, falſas eſſe, ipſumq. Apoſtolum pugnantia loqui, diuinaſq́. literas ſecum pugnare neceſſe eſt. Quo quid abſurdius dici poſſit non uideo. Nunquam enim ſecũ ueritas pugnat, ſed mẽdaciũ ita ſemper oppugnat ut ſibi perpetua ſtabilitate cõſtet.

Nos ergo catholici ſcripturæ loca conciliamus inter ſe, Paulumque ſecum pugnare

negamus. Diuinas autem literas ubiq; ueras agnoſcimus & fatemur. Itaque cùm Apoſtolus diceret, Soli Deo honor & gloria, eum de alio honore & gloria, quàm cùm alibi diceret, Gloria, honor & pax omni operanti bonũ, loqui dicimus. hic de honore ciuili, quo non ſolùm parentes, ſed etiã præpoſitos noſtros, omneſq. bonos afficimus: ibi de honore diuino, qui cum homine cõmunicari non poteſt. Si hanc diſtinctionem reiicis, ſenſum quem Apoſtoli uerbis adeò pertinaciter tribuis, eò pertinere ut ſcripturam tanquã ſibi repugnantẽ euertas, perſpicuum eſt. Quod cùm Chriſtianæ fidei hoſtes ipſiuſq. ſcripturæ inimici maximè cupiant, quo loco habendi ſint qui eorum perfidiam adiuuant, obſcurum non eſt.

Sed ut ad propoſitum reuertamur, in literis tuis non diſſimile peccatum admittis. Certa ſiquidem ad liberum uoluntatis arbitrium, & bonorum operum merita tollenda ſcripturæ loca producis, reliqua uerò quibus ea quæ ſic impudenter oppugnas, adeò perſpicuè demonſtrantur, præterire nõ dubitas. Vnde aut diuinas literas abs te nũquam lectas eſſe, ſed te ab iſtis quibus animæ tuę ſalutem ita temerè credis, deceptum eſſe arbitror: aut ſi hęc ſcripturæ loca quæ ad liberi ar-

ri arbitrij probationem à me producta ſunt, forte legiſti, cùm eorum in tuis literis nullā facias mentionē, ueriſimile eſt te non ueritatis inueſtigationi ſtudere, ſed id tantùm agere ut me quoque circumuenias, ac mēdacio falléte decipias. Quod cùm mihi de tuo candore perſuadere non poſſim, iis à quibus deceptum te eſſe uideo, iure ſuccenſeo.

Veniamus nunc ad quintum ſcripturæ teſtimoniū quod nobis opponis, ut quàm falſum ſit illud conſequens, quod ex eo elicere conaris, intelligas. Apoſtoli quidem uerba agnoſcimus & fatemur: Deus operatur in nobis & uelle & facere; ſed cū ex iis tanquā conſequens inferas, hominem nihil omnino potentiæ habere, concluſionem tuam uicioſam eſſe dicimus, propterea quòd ex particulari uniuerſale aliquid colligit. Neque enim ab Apoſtolo ita dictum eſt: Deus ſolus & omnino operatur & uelle & facere. quod certè dicendū erat, ut hominem qui eſt ſecunda cauſa, otioſum eſſe nec quicquam agere, poſſet intelligi. Illud ergo memoria tenēdum eſt, cùm duæ cauſæ aliquem effectum unà producunt, tametſi primæ principaliq. cauſæ laus præcipua tribui ſoleat, tamen ex eo non ſequi ſecundam nihil omnino agere. Exempli cauſa, ſit uictoria militum uirtute

ac fortitudine à rege parta. Quam ita cõmemorabit hiſtoria ut tota uictoriæ laus regi, nõ militi propria eſſe uideatur. Sic.n.annales referẽt: Ille rex hoſtiũ uires fregit exercitũque fudit. Annibal Saguntũ expugnauit. Ex quo ſi quis inferat Annibalẽ cũcta feciſſe, milites nihil: næ is præpoſterè ſcriptoris hiſtorię mentem intelliget, qui cùm primo loco regis uictoris fecerit mentionẽ, illius quoque milites, centuriones, tribunos alibi honoris cauſa nominabit, quantaq́. illorũ uirtus fuerit exponet. Ita ſcriptúræ ſacrę, in quibus Deus hominibus loquitur, illorũ morẽ ac ſermonis uſum imitari uidentur. Quemadmodum igitur ex hiſtoria in qua ſcriptũ eſt ab Annibale Saguntum expugnatũ, ſi quis inferat à ſolo Annibale abſque militũ opera Saguntũ fuiſſe captum, nimiũ is ineptus ridiculuſq́. uideatur; ſic ex his ſcripturæ uerbis, Deus operatur in nobis & uelle & perficere: qui inferunt hominem nihil neq; facere, neq; poſſe, iure ridentur. Sed ex abundanti demus hoc uobis, ut ex Apoſtoli uerbis rectè argumentari uideamini. Nolo iã nimiũ urgere. Sit illud quod vultis conſequens, tamen ex eo nõ ſequitur hominẽ nihil poſſe. Quãquã enim alius beneuolentiæ cauſa faciat quod ego alioqui facere deberẽ, non eſt tamen conſe-

quens

quens me illud facere nõ poſſe. Sed hoc tuũ ſophiſma clarius intelligetur cùm regulam quã ſuprà poſuimus, illi admouerimus. Ad eundem igitur modum argumentemur quo tu, utamurq́. Dialectica tua, & ſi conſequentiæ noſtræ falſæ non fuerint, te uerum intuliſſe credemus. Sit igitur hoc è ſcripturæ penetralibus ſumptum antecedens, ex quo lõgè aliter quàm tu, planeq́. contrarium iuxta tuæ Dialecticæ regulam concludemus. Dixit Dominus Abrahæ: Quia feciſti hanc rem. *Geneſ. 22* & Chriſtus de Magdalena: Bonũ opus operata eſt in me. Quęro ex te an Dei uerbis cre *Matt. 26.* dere debeamus? An fortè cùm Paulus diceret, Deus operatur in nobis uelle & perficere; uerum dixit? Deus autem cùm opus bonum ab homine factum eſſe dicit, falſum? Non eſt noſtrum inter ſe tanquam pugnantia Dei uerba committere. Sit hoc impiorũ Luciani, Porphyrij, Iuliani, quorũ ſacrilegã impietatem ueſtri miniſtri, imò magiſtri, aut imitantur, aut uincunt. Sed ut ad rẽ redeam, quẽadmodum ex hac Pauli ſententia Deus operatur in nobis uelle & perficere; tibi licere putas hanc concluſionẽ inferre, Homo igitur nihil facit: ita mihi ex Dei uerbis quibus bonum opus ab homine factũ eſſe dictũ eſt, inferre liceat: Deus igitur in hoc opere nihil

 fecit.

fecit. Vt enim illic Apoſtolus nullã cooperationis humanæ cum diuina mentionẽ facit, ita hic Deus ſe homini bonum opus facienti opem ferre non dicit. Si Dei auxilium hic, tametſi ſcriptum non ſit, intelligendum eſſe contendis, eodẽ modo illic hominis cooperationẽ, tametſi hoc ſcriptum non ſit, intelligẽdum eſſe dicam. Vides argumẽtum tuum ineptũ, ſophiſticũ, uicioſum eſſe, cùm ex antecedente non minoris auctoritatis, quàm tuum, eadẽ argumentandi ratione cõcluſionem tuę repugnantẽ atque cõtrariã infert? Tu ex Apoſtoli uerbis hominẽ nihil facere, nihil poſſe cõtendis; hoc modo ex ipſius Dei uerbis, Deum nihil in bono opere neque facere, neque poſſe, colligam. En in quantum blaſphemiæ barathrũ præclara tua argumentãdi ratio deuoluta ſit. Si tibi ad hunc modũ argumentari licet, cur mihi eodẽ iure non liceat? Atqui & tua & mea concluſio falſa eſt: ſcripturarum uerò ſentẽtiæ, ex quibus ſumptæ uidẽtur, ueriſſimę. Quis igitur adeò Dialectices imperitus, ut hanc argumentandi rationem uicioſam ac ſophiſticam eſſe non uideat? Quid, quòd regulam illam à nobis ſuperius expoſitam, cuius hæc ſumma eſt, ut totam ſcripturam ſacrã ueram eſſe credamus, neque unũ ſcripturæ locum per aliũ deſtrua-

mus, nō ſine ingēti culpa calcas & præteris? Quod cùm à te fieri uideo, tuamq́. argumentandi rationē modumq́. cōſidero, nihil aliud exiſtimare poſſum, niſi te ad ſcripturam euertendam omne ſtudiū contuliſſe. Quid enim aliud facere uideris, cùm ex uno ſcripturę loco id colligis quod alteri repugnat, eſtq́. contrarium? Ego uerò hoc à te peto, ut toti ſcripturæ diuinæ fidē habeas. Quid hac mea poſtulatione æquius? Porrò ſcripturæ ſentētia eſt: Deus eſt qui operatur in nobis & uelle & perficere. Vera ſententia, quā ego libēter amplector. Sed uide ne quid ei de tuo adiicias. Contrà alterā tibi eiuſdē ſcripturæ ſententiam profero, qua Deus Abrahæ dicit: Quia feciſti hanc rem: & de Magdalena Dominus: Opus bonū operata eſt in me. Nihil de meo adiiciā. Hæc ergo Dei uerba mecum amplectere, & omnis inter nos controuerſia ſublata eſt. Id ſi feceris, Deum & hominē in bono opere producēdo ſimul operari nobiſcum confiteberis. Vtrumque enim à ſcriptura demonſtratur, & uerū eſt, nec unum repugnat alteri. Ad hunc modū pax inter nos atque concordia in negotio fidei conciliari poteſt. A te igitur peto, ut ſimul & toti ſcripturæ fidē habeamus, & qđ diuinis literis utrinque adiecimus, id tanquā ſuperuacuum, ac

ueritatis inimicum, communiter reiiciamus atque damnemus. Scripturæ ſententia eſt: Deus eſt qui operatur in nobis & uelle & perficere. Credo & amplector. Cùm igitur eadẽ ſcriptura teſtetur ab homine bona opera fieri, & ut ea fiant hortetur ac moneat, à te petò ut id quoque credas atq; ſuſcipias. Illi ſententiæ hanc concluſionem adieceras, Homo igitur nihil poteſt, huic ego addiderã, Deus igitur nihil facit aut nihil poteſt. Iſtæ duæ concluſiones noſtræ ſunt additiones, non uerba ſcripturæ, nec uſquam diuinis literis cõtinentur. Hoc igitur iterũ à te peto, ut uterq; noſtrũ ſuæ additioni renuncians, ſoli nudæq. ſcripturæ credat, & inter nos ilico pax ſequetur. Ita enim & tu uerũ credes eſſe quod dico, & ego quod tu proferes in mediũ, ſuſcipiã, & tãquam Dei uerbum amplectar. Sic utrique uincemus, & pulcherrimæ uictoriæ utriuſq; palmã æqualem & ſimilẽ gloriã conſecuti, non ſolùm de errore triũphabimus, uerumetiã eruditionis atque doctrinę altiorẽ cõſcendemus gradũ. Hinc enim in faciendis bonis operibus homines nihil poſſe arbitrabaris, inde illa adiectione mea in iiſdẽ operibus producendis, Deũ nihil facere me exiſtimare fingebã. Atqui nunc hominẽ & aliquid facere, & à

Deo iuuari didicimus, ſine cuius auxilio facere homo nihil poſſet. Ita legendis diuinis literis uterq; proficimus. Porrò aliud eſt, ſi id quod ſcripturæ uerbis de tuo adieceras, adeò pertinaciter retines, obſtinateq́. defendis, ut quas adiectioni tuæ diuinarũ ſcripturarũ oppono ſententias, nõ digneris audire. Quod ſi ita abs te fit, nulla ineundę pacis atque concordiæ ratio inueniri poteſt. Quale enim eſt quòd ita ſententiã tuã, non quã de ſcripturarũ puriſſimo fonte hauſiſti, ſed ipſis ſcripturis adiecisti, ſic inſtituiſti defendere, ut me alias ſcripturæ ſententias opinioni tuæ repugnantes atque cõtrarias, quibus nihil uerius poteſt eſſe, cõcordiæ cauſa abiicere neceſſe ſit? Ergone pax inter nos nõ erit, niſi ego ueritatis proditor ac transfuga effectus, abiecto ſcuto, manus tibi dedero, in ueſtraq́. caſtra trãſiero? Sed ut ad propoſitum reuertamur, tolle ea quæ ſcripturis ſanctis utrinq; adiecimus, & nihil erit inter nos cõtrouerſię. Abiice adiectionẽ tuã, & ego abiiciã meã: tũ utraq; ſcripturę loca, quę ꝓpter adiectiones noſtras inter ſe pugnare uidebãtur, ambobus uterq; brachiis amplectamur. Igitũ ut diuinas ſcripturas recta interpretari poſſis, hęc tibi regula propoſita ſit. Cũ duo ſcripturæ loca ſimpliciter accepta, ſibi mu-

tuò

tuò nõ repugnant, uterq; ſuſcipiẽdus, utriq. fides habẽda eſt. Quare? Quia ſcripturæ diuinæ nõ ſimul nobis traditæ ſunt, ſed in pluribus libris diuerſiſq. temporibus, non ut id quod in priori dictum erat, poſterior emendaret editio, atque ita ſcriptura ſcripturam euerteret, ſed ut ex hac aliquid diſceremus, quod nõ didiceramus ex illa. Prior alioqui uana & inutilis iure cẽſebitur, ſi hãc à poſteriore corrigi neceſſe eſt. Qui id quod antè dixit, poſtea mutat & corrigit, ſeq. fatetur eſſe mentitũ, eũ neque ſapientẽ, neque uirũ bonũ exiſtimare cõſueuimus. Deus autẽ cùm multa dixiſſet, ſi ea pòſt corrigeret atq; mutaret, nonne ſtultitiæ argueretur, & illa infinita ſapiẽtia, & bonitas, ſibi diſſimilis eſſe iudicaretur? Cùm ergo ſcripturę ſententia ſit
Gen. 4. in Geneſi: Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius, memoria tenendũ eſt, nihil in ullo diuinæ ſcripturæ libro poſtea eſſe poſitũ, quod ad huius ſententię euerſionem pertineret: ſed quicquid exinde ſcriptũ eſt, id ad tradẽdũ nobis aliquid noui, quod antè neſciebamus, illãq. ſciẽtiã quã ex priorũ librorũ fontibus hauſeramus, augẽdã ualere. Cùm igitur ex illo Geneſeos libro uoluntatis libertatẽ in nobis eſſe iã didiſciſſemus, reliquũ erat, ut quæ eſſent arbitrij libe

ri uires, doceremur. Quod ut intelligere poſſemus, primę illi quã modò cõmemorauimus ſentẽtię multa alia Dei uerba ſucceſſu temporis acceſſerunt, ex quibus liberũ uoluntatis arbitriũ uitiis atque peccatis per ſe reluctari nõ poſſe, nec ſatis ualidũ ac firmũ eſſe, niſi Dei niteretur auxilio, diſceremus. Ita primæ illi ſententię hanc alteram adiungimus, non ut illã euertamus, ſed ut augeamus, & ut audiendo, legendoq. Dei uerbo, ueræ eruditionis atque doctrinæ augmenta capiamus. Porrò ſi id quod initio didiceramus, ſequens inſtitutio tolleret atq; deſtrueret, nullos certè progreſſus faceremus, ſed priora ædificia dirueremus, ut noua poſſemus erigere. Proinde quis unquã iſtorũ malorũ finis reperietur? Quæ animi quies & ſecura tranquillitas à nobis exſpectari poteſt? Quis pictorẽ qui imaginẽ in tabula elaboratã ſæpius mutat & corrigit, non ſtultiſſimũ iudicet? Non eſt igitur diuinæ ſcripturæ librorũ nobis tradita multitudo, ut aut unus ab altero corrigatur, aut ut illi fides haberi poſſit, hic relinquendus eſſe uideatur, ſed ut in noſtrã utilitatẽ, noſtrumq. in Dei cognitione profectũ omnes recipiantur à nobis. Quare ſæculi noſtri, quo Dei uerbum partim ſuſcipitur, partim reiicitur, calamitatem,

tem, imò malitiam atq; impietatẽ iure deplo ro. Cuius mali cauſam Satanæ calliditatem & aſtutiam eſſe non dubito, ut qui totã ſcripturam nobis eripere non poteſt, certè dimidiam eripiat, dũ ſubdola perſuaſione id agit, ut hunc ſcripturæ locum ſic exponamus, ut illum à nobis nõ ſolùm prætermitti, ſed etiã euerti neceſſe ſit. O infelix humana cõditio, quæ teterrimi hoſtis decepta conſilio, nõ ſolùm ueritatis lumen amittit, ſed etiam cùm in denſiſſimas errorũ tenebras deuoluta fuerit, tum demum in clariſſima ſcientiæ luce ſe uerſari exiſtimans, malo ſuo gaudet. Sed ad te redeo, frater, quẽ ex illis tenebris tetraq. caligine ad ueritatis lucem libenter ſanè reuocarẽ. Amplectere igitur, frater, amplectere ſcripturam uniuerſam. Quid hæres? quid dubitas? Quæcunque ueritatis ſpiritus diuinis literis promulgauit, hæc uera eſſe crede. Nihil nec in Deo nec in Dei uerbis ſecũ pugnare, ſibiq. cõtrarium eſſe poteſt, in quibus ſi qua uidetur eſſe contradictio, id non aliũde quàm à noſtra ignorantia, imò arrogãtia proficiſcitur. Nos enim Dei uerbis, quod nobis pro noſtra libidine uidetur, adiicimus. Nos ad diuinas literas explicandas eam opinionem quam noſtra ignorantia peperit, impudenter adferimus. Nos ſacroſanctæ ſcri-

pturæ maieſtatē deprimentes, ad noſtros affectus accommodamus. Nos Dei uerba non ſequimur, ſed ad noſtram ſententiā inflectimus. Porrò in diuinis literis, ſi rectè intelligā tur, nihil eſt repugnans, nihil contrarium.

Sed, ut ad propoſitum reuertamur, uis ſcire quæ ſit ſcripturæ conſuetudo, cùm de noſtris operibus loquitur? Cùm uirum ſanctū de ſuis operibus loquentem inducit, facit eū ut plurimū de illis adeò humiliter moderateq. ſentire, ut ea pro nihilo habere uideatur. Quod profectò ex illius humilitate procedit. Dum enim is attendit quantùm Deo debeat, illiq. maieſtati ſe adeò curæ eſſe conſiderat, nihil coram Deo neque ſe neq; opera ſua eſſe exiſtimat. Vnde clamat & dicit: Quid eſt homo, quòd memor es eius, aut filius hominis, quoniam uiſitas eum? Et alius quidam: Loquar ad dominum meum, cùm ſim puluis & cinis. Ita de ſe pij homines ſæpe loquuntur, & ſentiunt. Opera uerò ſua nihili faciunt, ſed cùm Dei gratiam, ſine qua nihil poſſunt, attentè conſiderant, ei in gratiarum actionē totum adſcribunt, atque ita Domino confitentur, Sine te ò Domine nihil poſſum: quicquid igitur ſum, quicquid habeo tibi attribuo. Ita & inter homines vſu uenit. Cùm enim aliquis in eum cui plurimū debet,

Pſal. 8.

Geneſ. 18

debet,

debet, aliquid officij cõtulerit, ad hunc modum loqui ſolet: Nihil hoc eſt: multo plura beneficiis erga me tuis debeo. Itaq. ſcriptura diuina hominem aliquẽ de ſuis operibus loquentem inducens, aut ad illos qui de iis gloriari, ſeſeque iactare cupiunt, uerba faciẽs, eos ut humilitati moderationiq. animi ſtudeant, deprimit. Porrò aliud eſt cum in ſcripturis Deus homini pio loquitur, cuius opera nõ ſolùm laudat & prædicat maieſtas illa diuina, ſed etiam iis qui bonis operibus incumbunt, bona infinita & æterna promittit. Hinc eſt illud Origenis: Aliud eſt, inquit, ex perſona ſcripturæ, prophetæ, uel Domini aliquem peccatorem deſignari, aliud eſt iuſtum ipſum ſui fieri accuſatorem, & humiliare ſemetipſum, ut exaltetur à Deo, & illud quod in ore omnium eſt, Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autẽ dat gratiã, quos in gloriam eleuare, eorumq. bona opera laudare conſueuit. Inde ſunt illa Dei ad Abraham uerba: Quia feciſti hanc rem, & non pepercisti filio tuo unigenito ꝓpter me, benedicam tibi, & multiplicabo ſemen tuum, & benedicentur in ſemine tuo omnes gentes terræ. Et Dominus in euangelio cùm Iudas & alii diſcipuli Magdalenæ factũ uitupe rarent, ac nihili facerent, hos reprehẽdens:

In epiſto. ad Rom. cap. 5.

Geneſ. 22

Matt. 26.

Bonum,

Bonũ, inquit, opus operata eſt in me. Magdalena igitur factum ſuũ nihili æſtimabat, ſed longè aliter Chriſtus de illius opere iudicabat. An fortè cùm Chriſtus hoc diceret, mentiebatur? Minimè uerò, non magis quàm Apoſtolus Paulus cùm gratiæ Dei qua hominem in bonis operibus adiuuat, magnitudinem oſtendens, Deus, inquit, operatur in uobis & uelle & perficere: & illud, quod alibi ait: Neque qui plãtat eſt aliquid, *1.Cor.3.* neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus. Atqui cùm idem Apoſtolus aut ſeipſum, aut alios exemplo ſuo in ſpem conatur erigere, adhunc modum loqui non dubitat: Bonum certamen certaui, curſum conſummaui, *2.Tim.4.* fidem ſeruaui. De cætero repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi in illa die iuſtus iudex: & quæ ſequũtur. Quid, quòd alio in loco ſe plus omnibus aliis laboraſſe dicit? Cùm igitur Apoſtolus hic ſe ni- *1.Cor.5.* hil facere, ibi ſe plus cæteris laboraſſe dicebat, uerum utrobique dicebat, non in eo ſenſu quem eius uerbis attribuitis, ſed tantùm comparatione atque reſpectu non ſolùm illius quod diuinæ maieſtati debebat, ſed etiam gratiæ Dei, cuius in bonis operibus adminiſtrandis, & præſidio nitimur, & auxilio ſubleuamur. En ſimplex & aperta,

nulliſq.

nullíſque uerborum ambagibus inuoluta declaratio ueritatis, quam ſi ante uidiſſes, quàm Apoſtolum legeres, in tam abſurdum ſcripturæque contrarium errorem nunquã incidiſſes.

Quàm abſurdus error ſit eorum qui homines nihil agere, ſed Deum in eo omnia facere ſentiunt, vberius explicatur.

ABſurdum hunc errorẽ iure dixi. Nã in hoc ueſtro paradoxo, quo hominẽ cæteris omnibus rebus uiliorem facitis, dum eum trunco, qui nec ſeſe mouere, nec quicquam aliud niſi id quod in illum proiicitur, ſuſcipere poteſt, comparatis, multa ſanè nõ ſolùm rationi, uerumetiã apparentię ac ueri ſimilitudini repugnãtia uideo. Quale enim eſt illud, hominẽ cæteris rebus excellentiorem à Deo conditũ, nihil neque facere neq; poſſe? Atqui nihil eſſe in rerũ natura, quod iuxta ſuam uim ac proprietatem, quam illi Deus opifex contulit, non aliquid agat, perſpicuũ eſt. Ignis urit, aqua humectat, cæli uertuntur, ſol lucet, equus portat, canis currit, bos arat, ſolus homo, tanquam telluris inutile pondus, nihil agit, ſed in illo Deus omnia abſq; illius cooperatione perficit. Atqui ſine Dei auxilio nec ignis urere, nec aqua humectare poteſt, non tamen negabis

gabis iſta aliquid agere. Cur ergo potius hominem, quàm cæteras res, nihil neque facere neque poſſe dicis? Miror ſanè cum ex te audio hominem, cui tot organa, tot inſtrumenta, tot uires ac potentias actiuas cæteris rebus negatas natura conceſſit, hunc ſolum ita inſtructum, nihil neque agere neq; poſſe, ſed uanum ac ſuperuacuum eſſe. Philoſophi ſententia eſt, Deum & naturam nihil fruſtrà feciſſe, ſed omnia in rerum natura certis operationibus deſtinata eſſe. Et iſti ſolum hominem fruſtrà factum eſſe contendunt, ut in mundo ſuperuacuus & ocioſus, tanquam ſterilis arbor terram occupet. hoc mihi tam abſurdum uidetur, ut nihil ſuprà, quod à ſumma cùm humanæ excellentiæ, tum diuinæ ſapientiæ, quæ nihil unquam fruſtrà, quod ad certum uſum finemq. non referat, facit, ignoratione proficiſci neceſſe eſt. Ergo iuxta præclaram iſtorum ſententiam nihil aliud eſt homo niſi maſſa quædã inutilis, quæ in orbe terrarum nihil agat, ſed tantùm terram occupet, aliiſq. rebus impedimento eſſe uideatur. Ad nihilum igitur ualet, niſi ut tanquam ſal infatuatum è rerum natura exterminetur. Hoc me in ueſtra opinione plurimum offendit.

ALTERA ABSVRDITAS.

NOn minus abſurda eſt illorum ſentētia, qui ut hanc Scyllam declinent, & fugiant, hominemq́. aliquid poſſe, nec fruſtrà conditū eſſe fateantur; in eam Charybdim ſeſe præcipitant, ut illū nihil niſi mali, nullū opus niſi ſibi & aliis perniciosum atque noxiū facere poſſe dicant. De calcaria, ut dicitur, in carbonariā. Tolerabilius enim erat hominē à Deo conditū eſſe ut nihil ageret, quàm ut male ageret: de illo ſiquidē diceretur, Si nihil boni facit, certè nec mali quippiā perpetrat, neque cuiquā nocet. Iā uerò iſti dicunt hominē eſſe rem totius mundi miſerrimā, propterea quòd nihil aliud niſi ſibiipſi nocere poſſit. Quaſi dicerent, Nihil aliud homo poteſt niſi ſeipſum occidere, uulnerare, mordere, lacerare, tanquam beſtia rabie concitata. Cùm enim omni animali, ſimul atque natum eſt, natura inſitū ſit ipſum ſibi conciliari & commendari ad ſe conſeruandū, & ad eum ſtatum, & ad ea quæ cōſeruantia ſunt eius ſtatus diligenda, alienari autē ab interitu, iiſq́. omnibus quæ interitū uidentur adferre, ſolus homo ob eā ipſam cauſam quòd homo ſit, ſibi prodeſſe nō poteſt, tantūq́. abeſt ut malū declinare ac fugere ualeat, ut ipſe per ſingula momen

ta illud nõ ſolùm arceſſere, uerũetiã perpetrare cogatur, nec aliud quicquã niſi opera ſibi adeò perniciosa, noxia, peſtifera, ut iis nihil pernicioſius cogitari queat, nimirũ ut ſibi ſupplicium ſempiternũ cõparet, facere poſſit. O miſerũ hominem, qui ſeipſum perdere poteſt, imò cogitur, prodeſſe ſibi nõ poteſt: En paradoxũ adeò execrabile ut nihil unquã ei ſimile audiuerim, adeò abſurdũ & à ratione abhorrens ut nihil neque dici neque fingi poſſit abſurdius. Quid enim ad hominis deſperationẽ certamq. perniciẽ, quid ad Dei auctoris contumeliã magis tendit ac pertinet? Nam unaquæque res ſecundum uim ac potentiam quam à Deo accepit, agere debet; homo autẽ, iuxta iſtorum ſententiam, nullã uim niſi ad peccandũ accepit: conſequens eſt igitur ut & peccare, & ſeipſum morte afficere debeat ſempiterna. Itaq; non ſolùm adeò furioſus eſt ut ſeſe mordeat ac laceret, uerũetiã ſeipſum morte nõ temporali ſed æterna debet afficere. Qui enim peccat, animã ſuã non ſolùm odit, uerũetiã occidit. Quę cum ita ſint, uidẽtur mihi hęretici noſtri ſic affecti cõtra Deũ & hominem, ut quicquid mali dici uel cogitari poſſit de Deo uel de homine, id dicere uelint, ſcripturaq. male intellecta, ad ea perſuadẽda abu-

ti,cùm tamen ad declarandã Dei erga homi nẽ ſummã bonitatẽ ſcripta ſit, nõ ad ullam crudelitatẽ inſinuãdã,quo nulla uſus eſt ali quãdo in genus noſtrũ. Certè peiorẽ faciũt hominũ in hac uita conditionẽ,quàm damnatorũ, qui ſicut nõ poſſunt niſi peccare, ita neque puniũtur de nouo pro ullo peccato. Homo autẽ uiator,aiunt hi, non poteſt etiã niſi peccare, & tamen pro quolibet peccato æternã pœnã demeretur. Sic aduerſarij nõ ſolùm homines iis qui cruciantur apud inferos miſeriores, uerũ etiã Deũ in illos,quàm in ipſos dãnatos,iniquiorẽ & crudeliorẽ faciũt. Qui ſi Chriſti uerbis crederent, cuius hæc ſentẽtia eſt,qui peccauerint,eos ob ſuas culpas propriaq́. peccata ſempiternis adiudicãdos eſſe ſupplicijs, nõ ita in Dei creatoris cõtumeliã impiis uocibus obſtreperẽt ueritati. Quid enim illo Deo crudelius, quid immanius cõgitari poteſt? qui hominẽ,quo nihil in rerũ natura præclarius, nihil excellentius finxit,uſque adeò miſerabili fini deſtinauit. Ignis,aqua,cũcta elemẽta,denique pecudes,cùm id quod illis natura inſitũ eſt, faciãt,nõ puniũtur,ſolus homo,inquiũt iſti, nihil aliud niſi peccare poteſt,ſui tamen peccati ſempiternas dabit pœnas. Remoue quæſo frater,remoue è cõſpectu noſtro huiuſcemodi

iuſcemodi blaſphematores diuini nominis, ne impias eorũ uoces audire cogamur. Quis enim uſqueadeò ſacrilega uerba, quis tam abominabilẽ impiáq. ſententiã patienter audire poſſit? O monſtra, portẽta, prodigia, in ultimas terras deportanda! O ſacrilegos homines, imò dæmones! qui non ſolùm de homine, præclariſſima creatura, uerumetiã de Deo, eius auctore, tã abſurda cõfingitis. Iſta ſiquidẽ ueſtra uox eſt, homo ad id ſolum factus eſt, ut ſeſe occidat & deſtruat. Quid igitur is Deo debet, à quo nihil niſi malũ accepit? O Satan Satan! certè nunc ſolutus es, alioqui mẽtibus hominũ tã abſurdas ĩpiaſq. opiniones ingenerare non poſſes. O miſeri homines, & toto lachrymarũ fonte plãgẽdi! certè à Deo derelicti in reprobũ ſenſum incidiſtis, ut uidẽtes nõ uideatis, nec audiẽtes audiatis. Quare mi frater ab iis quæſo te ſegrega, ne te quoq; ultio diuina cũ iis pariter inuoluat atq; conſumat. Quid aduerſarij & faciant & doceant, attentè quæſo cõſidera: qui cùm nihil niſi Dei laudẽ & gloriam ſibi propoſitã eſſe dicãt, de Deo tamen tã abſurda & à ratione aliena, tã impia, tã execranda prædicãt, ut cui illa iure tribuuntur, is Deus eſſe non poſſit, qui etiã ſi Deus eſſet, ab homine tamen propter eximiã in illũ crudeli-

tatē atque ſæuitiā, nulla religione colendus uideretur. Non uides Diabolum per eos nihil aliud agere, nihil moliri, niſi ut ueri Dei religionē & cultum euertat? Veri, inquam, Dei iuſtiſſimi atque optimi, qui uidit omnia quæ fecerat, & erāt ualde bona, quemq́. maiores noſtri ſanctè pieq́. coluerunt. Vix teneo lachrymas cùm animaduerto noſtro ſęculo in Chriſtianiſſimo florentiſſimoq́. regno cōtra Deū noſtrum nō modò huiuſcemodi opiniones erroreſq́. cōfingi, uerū etiā impunè blaſphemari, tātāq́. pſeudoprophetarum ac Satanæ miniſtrorū, qui torrentis è Stygio, imò Lemano lacu, erūpētis inſtar orbē Chriſtianū peruaſerūt ac populati ſunt, eſſe audaciā, imò licentiā, ut cùm certa multorū, qui illis peſtibus fidē adhibuerunt pernicie ex illa Geneuę ſinagoga, tanquā ex putidiſſ. fonte, hoc errorū ac blaſphemiarum, quibus nō ſolùm eccleſiæ Gallicanæ ſanctitas ſinceritaſq́. corrūpitur, uerumetiā totius Chriſtianæ religionis labefactatur auctoritas, ſumma cū Reip. clade pelagus redundaret. O Deus! itane Chriſtiani deſipere incipiunt, ut poſt tantā diuinarum humanarūq́. rerū notitiā, tā abſurdas de Deo & de homine opiniones ádmittere poſſint, quas ne beſtiæ quidē ſi mentē haberent, admittere un-

quam

quã poſſent? Iam Chriſtiani, qui ſoli olim ſapiebãt, incipiunt ſoli eſſe ſtulti, & nõ ſapere ea quæ Dei ſunt. Certè animales, beſtiales, carnales ſunt, & ideò ea quæ Dei ſunt, nõ ſapiunt, nõ intelligũt. Ita quẽadmodũ ſi eos tæderet eſſe homines, præclariſſimũ Dei opus, ad pecudũ qualitatẽ redire uelle uidẽtur. Quæ cũ ita ſint, cur tuis opinionibus adeò abſurdis ſuccẽſeã, eaſq. moleſtè ferã atque improbẽ, perſpicuũ eſt. Quas ut tuearis atq; defendas, hominẽq. libero uolũtatis arbitrio, boniq. alicuius faciẽdi poteſtate ſpoliatũ eſſe ꝑſuadeas, nõ ſolũ de ipſo homine illiuſq. operibus, uerũetiã de Deo abſurdiſſimè dicis & ſentis. Verùm hæc hactenus.

Altera huius opinionis abſurditas.

ABſurdũ illud tuũ orationis genus haud iniuria dico. Cùm enim ſic loqueris, neque cõmunẽ hominum inter ſe loquendi uſum atq; conſuetudinẽ, neq; ſcripturę ſanctæ phraſim imitaris, quã in aliud ſermonis genus, ut cum tuis opinionibus tã abſurdis alieniſq. cõueniat, mutari neceſſe eſt. Nã ſi ſolus Deus & uelle & facere operatur in nobis abſq; ulla noſtra cooperatione, cõſequẽs eſt ſolũ Deũ uelle, quod homo, uelle ſolùm Deum facere, quod homo facere dicitur. Quis enim neſciat actiones non iis qui nihil

agunt, ſed ſuis uel actoribus uel auctoribus eſſe tribuendas? Ignis enim calefacit, non ligna uel aqua. Rurſus aqua humectat, non ſitula aquã continẽs. Si pictor elegantẽ imaginẽ pinxit, deinde boui aut aſino illud opus adſcribitur. Siquid ego deſiderẽ, & hoc ipſum alius, qui nihil minus cupiat, deſiderare dicatur, nonne mendaciũ eſt, non ſolũ à ratione, uerumetiã à loquendi conſuetudine prorſus alienũ? Ad eundem modũ, cũ abſq; ullo meo motu ullave cooperatione Deus in me uoluntatẽ producit & creat, ſi quis me uelle dixerit, falſa & à ratione abhorrẽs erit eius oratio. Cuncta igitur ſcripturæ loca in quibus homo aliquid aut feciſſe, aut uoluiſſe dicitur, corrigi, eaq. uerba quæ ſolũ Deũ feciſſe & uoluiſſe ſignificẽt, iis ſubrogari neceſſe eſt. Nam iuxta ueſtram opinionẽ atque ſententiã, falſa ſunt illa ſcripturæ uerba, homo aliquid aut fecit aut uoluit. Qui ſi nihil poteſt uelle, cur illi diuinæ literæ uoluntatẽ attribuunt? Si nihil facere poteſt, cur in ſcripturis aliquid feciſſe dicatur? Qui nihil neq; vult neq; facit, qua ratione aliquid aut feciſſe aut uoluiſſe dicendus eſt? Hoc ſi uerũ eſt, quid falſum ſit nõ uideo. Vera enim eſt propoſitio, cùm ea res de qua ſermo eſt, ita ſe habet quemadmodum uerba ſignificãt; falſa,

cùm

cùm aliter. Si igitur aliter homo ſe habet, quàm ſcripturarum uerba ſignificãt, quæ illũ aliquid aut feciſſe aut uoluiſſe declarãt, ſcripturæ ſententias falſas eſſe perſpicuũ eſt. Ergo corrigēdę ſunt, imò uerò de ſcripturarum albo tollendæ, nõ ſolùm quòd falſę ſint & uanæ, ſed etiam quòd orbi terrarum ſummam perniciem attulerunt. Nam ſi uera eſt ueſtra ſententia, multis bonis uiris piiſq. hominibus, ut maioribus noſtris qui Dei uerbo ſimpliciter credendũ putabãt, illa ſcripturę uerba, quę ſimplices illos & apertos homines in eum præcipitarunt errorem, ut hominem aliquid & uelle & facere arbitrarētur, exitio fuerũt. Quæ cùm ita ſint, uos Dei uel cõſiliarios, uel magiſtros fuiſſe operępretiũ erat, ut illum alio ſermonis genere quàm in ſcripturis ſuis uſus eſt, uti doceretis. In iis. n. hominem non ſolùm aliquid uoluiſſe, ſed ēt feciſſe dicit, illiq. opera quædam attribuit: imperitè ſanè, ne dicam falsò, iuxta præclaram noui ueſtri euangelij ſanctitatem. Sed quoniam Deus in ſcripturis grammaticæ ueſtræ præcepta non curat, hanc certè, niſi fallor, conſuetudinem, quæ ab initio in hominum ſermonibus uſuque uerſata eſt, ut homo aliquid uel uoluiſſe uel feciſſe dicatur, libenter emendaretis. Non ergo amplius di-

cendum

cendum eſt, Ille vult ire Romam: ſed potius, Deus vult ire Romam. Dei enim eſt omne qđ aut uolumus aut facimus. Ita deinceps dicere non licebit, Homo uult bibere: ſed dicendũ eſt, Deus vult bibere. & quicquid eſt eiuſmodi, ſic pronunciari oportebit. Sed natura, quæ audire nõ ſuſtinet hominẽ in hoc mundo nihil agere, nos ita loqui docuit. Attamen eam ad iſtorum normam & amuſſim qui in ſcripturis ſanctis, id quod ante illos nemo neq; intelligere neque uidere potuit, lynceis oculis acutiſſimeque uiderũt, exigi, imò corrigi neceſſe eſt. Sed ad te redeo mi frater, illudq́. tuum peracre iudicium ita caligine offuſum eſſe nõ arbitror, ut quàm abſurda ſint iſta, ſi in uſum inducerentur, uidere non poſſis. Opinionem ergo tuam falſam & à recta ratione abhorrentem eſſe mihi crede, ad quam, niſi diuinæ literæ corrigãtur, & humani ſermonis uſus atq; conſuetudo mutetur, nos accommodare nõ poſſumus. Illud tibi perſuade, Spiritũ ſanctum, cuius inſtinctu prophetę & apoſtoli ita locuti ſunt, optimè ſcire quo ſermonis genere utendum ſit: qui cùm aliquanto melius quàm homines, rerum atq; uerborum proprietatem intelligat, ſine certa ratione nunquam ita locutus eſt. Si homo nihil neque facere, neque uelle

poſſet,

poſſet, nunquã (mihi crede) Deus, id eſt, ipſa ueritas, eũ aliquid poſſe dixiſſet. Vides dum iſtis tuis miniſtris, imò impoſtoribus, nimis temerè & improuidè fidẽ adhibes, in quas abſurdiſſimarum opinionum plagas, in quæ retia te ipſe conieceris? Porrò ſi tot rationibus & exemplis à me prolatis, tanquã multis abſurditatibus in tuo errore deprehenſis atq; detectis, tibi fortè non ſatisfeci, iure abs te petere uideor, ut queãdmodũ te diuinis literis fidẽ habere fingis ac ſimulas, ita etiam re uera facias, iiſq́. omnibus credas. Vt igitur Apoſtolo credidiſti cũ dicit: Deus operatur in uobis & uelle & perficere, ita eidẽ crede dicenti: Hoc uobis utile eſt, qui non ſolùm facere, ſed & uelle cępiſtis ab anno ſuperiore. Crede Chriſtum ipſum cùm de Magdalena diceret: Bonum opus operata eſt in me, nõ eſſe mentitũ. Hoc igitũ & Chriſto, & eius Apoſtolo, imò tibi ipſi, nã hic tua res agitur, præſta beneficium, ut utrũque uerũ dixiſſe credas. Quid diſcipulum cũ magiſtro, Apoſtolum cum Chriſto, præconem cum iudice committis? An illos inter ſe diſſidere arbitraris? Certè quorum iam eſt in cœlis animorũ ſumma conſenſio, eorũ in terris non pugnat oratio. Quemadmodũ ergo magiſter bonũ opus ab homine fieri prędicat, ita diſcipulus 2. Cor. 4.

Galath. 4. ut illud faciamus admonet, dicens: Dum tẽ-
Rom. 2. pus habemus, operemur bonũ. Gloria enim,
1. *Cor.* 3. ut alibi idem Apoſtolus ait, & honor, & pax omni operanti bonum. Item: Vnuſquiſque propriam mercedẽ accipiet ſecundum ſuum laborem. Quid ais Paule? Paulo antè dicebas Deum in nobis operari & uelle & perficere, nũc autẽ de noſtro labore diſſeris. Qui fieri poteſt ut nobis proprius ſit labor, cũ iuxta iſtorũ qui ſe diſcipulos tuos iactant, ſententiam, nihil neque faciamus, neque omnino poſſimus? Quomodo tu dicis: Referet unuſquiſq; propria corporis ꝓut geſsit, ſiue bonum ſiue malum? An tecum ipſe pugnas, tibique contradicis? Nihil profectò minus. Sed noſtra cùm incredulitas, tum ignorãtia, imò uerò quorundam ſuperborum hominũ pertinacia in cauſa eſt, ut in Apoſtoli ſcriptis pugnantia quædã eſſe uideantur. Vt cùm illius uerbis de noſtro aliquid adiicimus, noſtręq́. ſententię nihil cõtrarium recipere aut credere ſuſtinemus. Nunquã enim Apoſtolus dixit ſolum Deum abſq. noſtra cooperatione totum & uelle & perficere in nobis operari. Illius quidẽ agnoſco ſententiã, Deus operatur in nobis & uelle & ꝑficere. ſed unde hæc uerba, *Solus & abſque noſtra cooperatione*, niſi de tuo? quæ ſi Apoſtoli uerbis non addidiſſes,

diſſes,errori tuo congruentē ſententiam nō haberes.Nego igitur ſecū pugnare Paulum, nego in eius epiſtolis unum locū alteri eſſe contrariū:additionē autem tuā illius uerbis contrariā eſſe dico,cui ut crederes, eamque defenderes, tā multa ſcripturæ loca, quæ cū additione tua pugnant, nec conciliari ullo modo poſſunt,nō ſolùm peſſundas & præteris,uerùm conaris euertere.Tolle mihi hanc tuā adiectionem, & ſtatim Paulus nō modò ſecum,uerumetiam cum Chriſto,id eſt cum ipſa ueritate,conſentiet.Neq; enim ignorat Apoſtolus Deum tanquā præcipuum agentē in nobis operari & uelle & perficere, ſed hominem quoque nouit Deo concurrentē, ut ita dixerim, & cooperantē, cuius adiutores nos eſſe diſertè pronunciat. Hæ ꝓfectò duæ ſententiæ, quas in Apoſtolo legimus,nō pugnāt inter ſe,ſed tu iſta tua adiectione, quā pro Apoſtoli uerbis mihi obtrudis & uenditas,cōſenſionem atq; concordiam ſcindis.A te igitur peto,ſi qua te ſalutis cura tangit, ſi quod eſt in te pietatis ueſtigiū, ſi illam Dei maledictionem, quam iis qui ſcripturæ uerbis aliquid adiiciunt,ueritas cōminatur, metuis,remoue illam tuam adiectionem, crede deinceps Apoſtoli uerbis, & inter nos ilicò pax ſequetur. Alioqui fieri nullo modo po- 1.Cor.3.

teſt,

teſt, ut pro Dei uerbo tuam adiectionẽ ſcripturæ contrariam amplectamur, eoque impietatis auctoramento tecũ redeamus in gratiam. Nam ſi amici eſſe non poſſumus, niſi hæreticis manum dedero, leuius tuas inimicitias, quàm illorum amicitiam ſuſtinebo. Crede igitur matrẽ eccleſiam ſpõſi ſui noſſe uocem, alteriuſque ſermonem à Chriſti uerbis facillimè poſſe diſcernere. Atq; utinam illius ſequerere prudentiam, nunquam in illud perfidiæ barathrum incidiſſes. Nunc autem quia quorundam homuncionum ſentẽtiam, quam uelut ex ſcripturæ fontibus hauſtam, uerbo Dei contra ipſum Dei uerbum adiiciunt, pro ueritate complexus es, multo erroris luto oblitum, imò implicatum, uix emergere poſſe te uideo. Atqui cõplura ſunt ſcripturæ loca in quibus homines aliquid uoluiſſe aut noluiſſe, feciſſe aut non feciſſe dicuntur, & tu me uis iſtorum ſiue adiectionem ſiue ſentẽtiam cum diuinarum litterarum auctoritate pugnantem atque contrariam amplecti? Non faciam, ne tu quidem ſi ſapis, & ſi ſalutis tuæ uis aliquam habere rationem, erroremque uitare & fugere. Vis ſcire quàm inſigni cõcionatores, imò impoſtores tui calliditate ſint uſi? Certè ut te fallerent atque deciperent, in primis hanc ſuam
adiectio-

adiectionem Dei uerbum appellare non du bitarunt: deinde quia illorum adiectionem atque ſentẽtiam pro Dei uerbo nolebamus amplecti, in nos latrare cœperunt, indignum facinus eſſe clamantes, Verbum Dei à nobis reſpui ac reiici. Quæ cùm in nos impia uomuiſſet audacia, iis temerè credidiſti. Hinc igitur illa tua præclara ſententia, quã in tuis literis contra Romanam eccleſiam ferre non dubitas, cùm cenſoria uirgula ſumpta, eam contra Dei uerbum, contra ſcripturæ aucto ritatem docere pronuncias, hominẽ aliquid boni facere poſſe. Atqui iſtud quod Verbũ Dei uocas, contra quod eccleſiã docere uis, nihil aliud eſſe niſi additionem ueſtrã, quã Dei uerbo contra Dei uerbum Pſeudoprophetæ ueſtri adiiciunt, planum fecimus, quẽ admodũ ex iis quæ in hoc loco diſſeruimus, liquidò intelligere potes. Miniſtrorum nãq; ueſtrorum omnem fraudem impoſturamq. deteximus, illoſque cuniculos quibus arcẽ ueritatis euertere moliebantur, deprehendimus. Reſtat ut ad ſextum epiſtolæ tuæ argumentum ueniamus.

SEXTA CONFVTATIO.

SExtum igitur argumentum tuum ex horum euangelij locorum uitioſa interpretatione ſumptum eſt, Nemo poteſt ad me ue

nire, niſi pater meus traxerit eum. Item; Compelle eos intrare. Quibus ex locis nos liberum uoluntatis arbitriũ nõ habere concludis. Eodem argumentandi modo, neq; Chriſtum, neque Angelos ſanctos libero arbitrio præditos eſſe monſtrabo. Nã de Chriſto in euangelio dictũ eſt: Et coegerunt eũ, nimirum ex diſcipulis eius duo, ut ſecum ingrederetur hoſpitium. Quid in Geneſi? Nonne hæc diſertè ſcripta ſunt? Compulit Loth illos, nimirum angelos, ut diuerterent ad eum. Sic igitur tuo more argumentor. Diſcipuli coëgerunt Chriſtum, & Loth angelos compulit, neque Chriſtus igitur, neq; angeli habuerunt liberum uoluntatis arbitrium. Si tuum argumentum ad probandũ in nobis non eſſe uoluntatis libertatem ualet, ualebit & meũ, quod ex clariſſimis ſcripturæ locis, neque in Chriſto, neque in angelis eius liberum fuiſſe uoluntatis arbitriũ, eodẽ modo probat. Sed hoc perſpicuè falſum eſt. Conſequens eſt igitur & tuum eſſe uitioſum, ex mala ſcripturæ intelligentia ſumptum. Animaduertendũ eſt igitur hæc uerba, trahere, cogere, compellere non ſignificare uim aliquam, cùm ad hominis uoluntatẽ admouentur, ſed tantùm uehementem quandam perſuadendi rationem, quæ

precibus,

precibus, exhortationibus, ſupplicibus uer bis fieri conſueuit. Cùm uerò actionem aliquam circa corpus oſtendunt, tum demum neceſſitatem uimq. ſignificant. Hoc orationis genere nonnunquam ipſe uteris. Cùm enim ab aliquo multis precibus exoratus fueris, tum ut illi concederes quod petebat, te coactum fuiſſe dicis. Ad hunc modũ orator, cùm audientiũ mouet affectus, iiſq. quod uult dicendo perſuadet, auditorũ ſuorum animos in ſua poteſtate habere, illoſq. in quancunque uoluerit partem flectere dicitur. Orpheum non feras modò, ſed ſaxa etiam ſyluaſq. traxiſſe, poſteritatis memorię proditũ eſt. Vnde eſt illud poëtæ: Trahit ſua quęque uoluptas, & tamen hic nulla uis ad trahẽdũ adhibetur. Inde eſt & illud Iacobi: Vnuſquiſq; tentatur à cõcupiſcẽtia ſua abſtractus & illectus. Voluptas igitur hominẽ *Luc. 1.* ad ſe trahit, nõ ui impulſũ, ſed cuiuſdã ſuauitatis illecebris delinitũ, qualẽ in Cantico canticorũ ſponſa capiebat, cùm ſponſo diceret: Trahe me poſt te, in odore curremus unguentorũ tuorũ. Hoc ergo modo nos ad Filiũ trahit Pater, nõ uim ac neceſſitatẽ adferens, ſed multis de cauſis illum & ſequi, & amare perſuadens. Hoc quoq; modo uerbi Dei prędicatoribus dicitur, vt ad regni cęle-

ſtis conuiuium inuĩtatos intrare cõpellant, id eſt, ut iis inſtẽt opportunè, importunè, ar guant errantes, deſides obſecrent, increpẽt delinquentes, quemadmodũ diſcipulũ ſuũ

2.*Tim.*4. Paulus hortatur. Hanc autem compulſionẽ non eſſe uiolentã, neq; liberæ uoluntatis ar bitrio quicquã detrahere perſpicuũ eſt, ex eo quòd de iis qui ad cœnam inuitati erant, Euãgeliſta ait: & nolebãt uenire. Deus quoque hoc modo cogi dicitur, cùm à nobis im portunè rogatur, & ut à nobis ita cogatur, multis rationibus atq; exemplis ipſe nos incitat. Vnde & Moyſi ardentiſſimis precibus ſe tanquam ui quadã retineri, imò cogi fatebatur, cùm ei diceret: Dimitte me, ut iraſca tur furor meus: & quę ſequuntur. Hęc homi nis coacti uidetur oratio. Attamen neq; negabis, ut equidẽ exiſtimo, Deum habere liberũ uoluntatis arbitriũ, neq; eò impudentiæ proceſſiſti, ut dicas, ei uim aliquã adfer ri poſſe. Suorũ igitur preces liberè exaudit, nulla neceſſitate cõpulſus, ſed libertate uoluntatis adductus. Ex quo hæc uerba, trahere, cogere, compellere, non magis tibi ad euertendã humani, quàm mihi ad tollendã & angelici, & diuini arbitrij libertatẽ fauere, perſpicuũ eſt. Cui igitur obſcurum eſſe poſſit, te ad confirmandã opinionẽ tuam, &

præpo-

præpoſtere ſcripturarũ uerba proferre, cùm ea non ſolùm malè intelligas, ſed etiã peius exponas, & illud argumẽtum tuum captioſum ac ſophiſticum eſſe, cùm eodem modo falſum aperte concludam & colligam?

SEPTIMA CONFVTATIO.

NEc minus ſophiſtica eſt ſeptima allegatio tua, quæ nõ ſupra uerbi Dei petrã fundata, ſed ſupra uicioſam ac malam ſcripturæ intelligentiam poſita, diu ſtare non poteſt, ſed ſua ſpõte procumbit. Ex iis enim quæ & à propheta de immutatione cordis humani in noua lege futura, & à pſalmiſta ſcripta ſunt hoc modo: Cor mundũ crea in *Pſal. 50.*
me Deus, & ſpiritũ rectũ innoua in uiſceribus meis. Itẽ alibi: Cõuerte nos Deus ſalu- *Pſal. 80.*
taris noſter: & ſiquid eſt eiuſmodi, tuo more cõcludis, hominẽ liberæ uoluntatis arbitriũ nõ habere, ſed omnia quæ in illius cõuerſione, cordiſq. immutatione gerũtur, ſic à Deo fieri, ut ab homine nihil fiat. Cæterùm ut tibi in hac parte reſpõdeã, in primis à te peto frater, quod etiã ſuperiùs memini me petiſſe, ut non alicui ſcripturarũ parti, ſed omnibus diuinis ſcripturis fidẽ habeamus. Cùm illud è Pſalmiſta producis in medium: Cor mundũ crea in me Deus. Itẽ: Cõuerte nos Deus ſalutaris noſter. ſcripturę uerba liben

ter ampleċtēs & exoſculās, prophetā à Deo reċtè petentē, quod is cōcedere & poſſet, & uellet, agnoſco. Porrò ſi apud prophetas hominē à Deo rogari demōſtro, ut cùm ei dicitur: Cōuertimini ad me, & ego cōuertar ad uos: à te peto, ut id à Deo reċte fieri, atq; ab homine aliquid, quod ab illo pręſtari poſſet, poſtulari, tibi quoq; perſuadeas. Quēad modū igitur ex hoc, quod Deus ab homine rogatur ut ipſum cōuertat, Deū in peccatoris cōuerſione aliquid facere cōcludis & colligis, ita ex eo quòd homo rogatur à Deo, vt ad illū ſe cōuertat, hominē in ſua cōuerſione ad Deū aliquid facere pari ratione cōcludas neceſſe eſt. Hac enim conditione Deus nos ad ſe conuertit, ſi ad illum conuerti uelimus, imò ſi nos ad illum conuertimus. Alioqui ad illū fruſtrà clamamus: Conuerte nos Domine: ſi omnia expeċtātes à Deo, quod in nobis eſt pręſtare negligimus. facilè igitur inter nos, in hac quidē parte, poterit cōuenire, ſi quēadmodū utrūq; Dei uerbū eſt, ita utrūq; uerū eſſe credideris. Tum enim uti ſemper credidi, in noſtra cōuerſione hinc Dei auxiliū nobis neceſſariū, tecum eſſe credā. Inde tu mecū hominis tāquā aliquid agentis, cooperationē requiri credes.
Pſal. 118. Vnde qui ait, Conuerte me Domine. idem

alio

alio loco dicit, Cóuerte pedes meos, id eſt, affectus meos, in teſtimonia tua. Quẽadmodũ enim Deũ rogamus ut nos ad ſeſe cõuertat, ita Deus à nobis, ut ad illũ cõuertamur, exigit. O quàm facile hac re cõciliari poſſemus, ſi utrinq; φιλωνικία & cõcertatione depoſita, ſemel totã ſcripturã uellemus amplecti. Nihil hic à te frater difficile, nihil iniquũ poſtulo. Tu mihi hinc vnum prophetã Deo ſupplicantẽ producis in mediũ, atq; dicentẽ: Cor mundũ crea in me Deus, id eſt, laua cor meum. ego tibi Deum ipſum apud alterum prophetã nos uel orantẽ uel hortantẽ oſtendo. Lauamini, inquit, mundi eſtote, auferte malum cogitationũ ueſtrarũ. Et alibi: *Iſaiæ 1.* Laua à malitia cor tuũ. Dauidis orationẽ à *Hiere. 4.* te recipio. Cur tu à me, imò à Spiritu ſancto, Dei orationẽ, qua te, ut cor tuũ laues, admonet, reiiciendã putas? Niſi forte ſolũ Deũ in te laborare uis, tu uerò in Epicuri caſtris, imò in Adonidis hortulis ocioſus, interim ut de peccatorũ tuorum cœno te ſine ullo tuo ſtudio ac labore Deus educat, expectas. Sed non ſic itur ad aſtra. Vult enim Deus nos operi manũ admouere, neq; ceſſantes, ſed enitentes auxilio ſuo ſubleuare conſueuit. Scitum eſt illud Heſiodi: τῆς δ' ἀρετῆς ἱδρῶτα θεοὶ προπάροιθεν ἔθηκαν. & quæ

 ſequun-

ſequuntur. quod à noſtris ita reddi ſolet, Virtutē poſuere Dei uirtute parandā. Illa quoq; Auguſtini ſentētia ueniat in mentē: Qui creauit te ſine te, nō iuſtificabit te ſine te. Quæ cùm ita ſint, quàm & rationi cōſentanea, & ſcripturis cōueniens ſit oratio noſtra, perſpicuū eſt. Nec dubium eſt quin tua diſſerendi ratio ſit eiuſmodi, ut dū unū ſcripturæ locū reſpicis, alterū deſtruas. Hęc tua pietas eſt, ita Chriſtianā religionē à tuis colere ac ſeruare didiciſti. Sed quid ueritatē diuidis? Cur nō potiùs ſcripturā ſacrā aut totā uerā, aut totā falſam eſſe credis? Et quoniā uos, qui de Caluini ſchola, tanquam ex equo Trojano prodiſtis, ita fidē ueſtrā iactare, ita de ea gloriari ſoletis, ut ſoli ex omnibus fideles dici uelitis; ſit ea fidei ueſtræ amplitudo, quàm illud uocabulum glorioſum, quod cæteris ereptum, uobis ſolis arrogatis, meritò poſtulat. Ergo deinceps nolite integras ſcripturæ ſentētias reiicere, ut dimidias quaſdā, atq; trūcatas, quas impoſtores illi ueſtri uobis obtrudūt, mordicus retineatis. Cū igitur aliqua materia tractanda erit, antequā de illa ſententiam feras, quid de ea tota ſcriptura pronunciet, diligenter ac maturè cōſidera, ne tanquā fatuus iudex de re incognita iudices, quod hic feciſſe te uideo, dū ma-

trẽ tuã Eccleſiã, & quidẽ inauditã, temerè cõdẽnas, cùm illã cõtrà ſcripturarũ auctoritatẽ de liberę uolũtatis arbitrio docere pronuncias. Atqui nõ illius ſentẽtiã, ſed tuam opinionẽ ſcripturę contrariã eſſe perſpicuũ eſt. Tuæ igitur fidei anguſtia & paruitas nos in hoc religionis negotio conuenire atq; cõciliari nõ ſinit. Ego enim à te totius ſcripturæ cõfeſſionẽ exigo, ego ut eã totã uerã eſſe fatearis, poſtulo: tu uerò cùm tantùm aliquã ſcripturarũ partem recipias, omnium tamen cognitionẽ ita tibi ac tuis arrogas, ut ad nullũ præterea exiſtimes pertinere. Quæ cùm ita ſint, quis adeò cęcus, ut tuã iniquitatẽ imprudentiamq. non uideat? Ex uno ſiquidẽ uerbo, ſed quid dico uerbo? ex una propè ſyllaba, quicquid de aliquo argumento dici poteſt, imperitè ſanè cõcludis & colligis, atque ex uno loco, in quo de eo quod inter nos cõtrouertitur, nulla ſit mẽtio, id falſum eſſe cõtendis. Cùm ergo Dauid ait: Cor mũdum crea in me Deus: nũ hoc illi propoſitũ erat, quærere utrũ in ſua cõuerſione homo aliquid faciat an nõ? Minimè uerò. Sed id, quod ſibi neceſſariũ nouerat, à Deo poſtulabat. Ad eũdẽ modũ, cùm Deus homines, ut ad ſe cõuerterẽtur, oraret, hanc quæſtionẽ, utrũ gratię ſuę auxiliũ, hominibus ad cõuer

ſionem neceſſariũ eſſet, tractare nõ inſtitue-rat, ſed id ſolùm ab homine, quod requirebat, ad ueram pœnitentiam,&,ut Græci ſignificantius dicunt, μετάνοιαν, illi neceſſariũ erat: nimirum ut ſi homo Deum ad ſe conuerti, illiuſq. auxiliũ & fauorem ſibi adeſſe uellet, ad eum ſe ille conuerteret. Cùm igitur ex aliqua ſentẽtiola, quę de altera cuiuſdã materiæ parte agit, aut totius argumenti reſolutionẽ inferre, aut quicquid in illa ſententiola dictũ non eſt, falſum eſſe concludis, nonne ſtultiſſimè facis? tanquam ſi diceres, quicquid in eo ſcripturæ loco poſitũ nõ ſit, uerũ eſſe non poſſe. Hæc eſt à loco, ab auctoritate negatiuè arguere, quod quàm ſophiſticũ ſit, nullus ignorat. Argumentum igitur tuum ſe habet ad hunc modum. Dauid cùm diceret, Cor mundum crea in me Deus: de eo quod ad mundãdum cor noſtrum facere debemus, nihil dixit, homo igitur in ſua cõuerſione nihil facit. Hoc modo Chriſtum de Virgine natum non eſſe concluderes. De hoc enim eo loci Dauid nihil dixit.

Huius ſophiſmatis uberior explicatio.

APud Rhetores uitioſum dicitur orationis exordium, quo etiã aduerſarius uti poteſt. Sic Dialectici argumentum malũ & uitioſum eſſe dicunt, cùm ei ſimile ab aduer-

ſario,

ſario,& contra nos concludi poteſt. Non grauabor hoc loco tibi oſtendere, quanta in impoſtorum ueſtrorum argumentis ſint uitia, ut aliquando tandem oculos aperias, totque fallaciis cognitis atque perſpectis, miniſtrorum ueſtrorum fraudem intelligas. Illud igitur in primis animaduertere operæprecium eſt, eadem argumentandi ratione, qua hominem nihil in ſua conuerſione agere, demonſtrare conatus es, probari poſſe, Deum in noſtra conuerſione, cordiumve noſtrorum purgatione nihil facere. Sic enim argumentaris: Dauid Deo dicit, Conuerte nos Domine: homo igitur nec in ſua conuerſione quicquam agit, nec liberum habet uoluntatis arbitrium.

Liceat mihi ad eundē modum argumentari: Deus, qui non minus prudenter quàm Dauid loquebatur, ait: Cōuertimini ad me in toto corde ueſtro: conſequens eſt igitur eum in peccatoris conuerſione nec aliquid facere, nec habere liberum uoluntatis arbitrium. Aut certè hoc modo: Prophetæ uerba ſunt. Lex Domini immaculata conuertēs animas. Neque Deus igitur neq; homo in peccatoris conuerſione quicquam agunt, ſed hoc ſolius legis officium eſt. En idem argumenti genus. Tria antecedētia ex ſcriptu- *Pſal.* 18

ræ quidem fontibus hauſimus, ſed concluſiones noſtræ ſunt, quas ſcripturis adiecimus. Sed quoniã hęc argumentandi ratio ſophiſtica eſt, noſtræ tres cõcluſiones falſę sũt. Hæc cùm mecum reputo, teq́;, quem in cæteris rebus prudentiæ laude digniſſimum iudico, in hoc maximi ponderis negotio impoſtorũ aucupio & fraude captum, ac diaboli caſſibus implicatum uideo, pro meo in te amore, tuam uicem miſeriamq́. deploro.

Iſaia 1. Vis aliud exemplum? Lauamini, inquit Deus per prophetam, mũdi eſtote. homo igitur in mentis ſuę purgatione totũ facit. Hoc cõſequens iure negabis, attamen ex eodem artificio, ex eadẽ officina, qua tuũ illud, exiſtit. Quale igitur tuũ? Prophetæ uerba ſunt, inquies, Laua me Domine ab iniquitate mea. Item: Cor mundum crea in me Deus. homo igitur in cordis ſui lotione nihil facit, nihil poteſt. Vis me hanc tuam concluſionẽ amplecti? Recipe & tu meam, quę tua nihilo deterior eſt. Sed quoniã id à te obtineri non debet, nec poteſt, quid hic faciendum exiſtimas? Quid? niſi ut hanc noſtram argumentandi rationem ſophiſticã eſſe ambo intelligentes, illas cõcluſiones quas de noſtro ſcripturæ uerbis adiecimus, reiiciamus, ſolaſq́ue ſcripturæ ſentẽtias, è quibus tãquam ex fon-

tibus

tibus illas concluſiones uidebamur haurire, pro ueris retineamus. Illis igitur prophetæ uerbis: Laua me Domine ab iniquitate mea: iſtud adiicis de tuo, Deus ergo in hominis purgatione facit oĩa. Huic autẽ Dei ad homines dictæ ſentẽtiæ, Lauamini, mundi eſtote: de meo adieci, Homo igitur in ſua ſpirituali lotione omnia facit. Si hanc meam adiectionem repudiandam putas, cur ego tuã amplectar? Hæ duæ adiectiones nõ Dei uerba, ſed noſtra ſunt. Vtraque ergo repudiata ſolum ac purum Dei uerbum retineamus, & nihil inter nos cõtrouerſiæ relinquetur. Deũ igitur in noſtra cõuerſione plurimum operari credendum eſt, alioqui non rogaretur à Propheta, ut illũ lauaret atque conuerteret. hominẽ quoque in ſua conuerſione aliquid facere, nõ eſt dubium, alioqui eum diuina ſapientia nõ rogaret, neq; præciperet his uerbis: Lauamini, mũdi eſtote, & conuertimini ad me. ſed omnia per ſe Deus ageret, nec ab hominibus aliquid poſtularet. Vnde in Apocalypſi quidam ueſtes ſuas in ſanguine agni dealbaſſe dicuntur. Vide quàm facilè hac ratione ad ueram ſcripturarum intelligẽtiam peruenire poſſemus. Quã ut ſequaris, & cõcluſiones quę ex ſcripturis ſumi uidẽtur expendas, etiam atq; etiam à te peto. Id ſi antè

feciſſes,

feciſſes, nunquam illi ueteratores, & callidi, quos admiraris, te circũuentũ, ac ſoſphiſmatum ſuorum tendiculis implicatum, in ſuã factionem adduxiſſent, nũquam ita temerè maiorum tuorum religionem ac fidem deſe rens, in aduerſariorum caſtra tranſiſſes. Bea tus Hilarius, noſtræ Galliꝗ lumen, in Cōmẽtariis in Pſal. 118. multa diuinitus in hãc ſententiam ſcripſit, cuius uerba ſubiiciens, tanto uiro potius, quàm illis tuis impoſtoribus ac ſophiſtis te crediturum eſſe confido. Impię, inquit, eſt uolũtatis, exiſtimare idcirco ſe ea quę ſunt credentiũ propria non con ſequi, quod ſibi à Deo indulta non fuerint. Sed omnem occaſionem huius impię excuſationis propheta ſummouit. Primum enim cùm orat, conueniẽs infirmitati ſuæ egit officiũ. Dehinc Dei muneribus humanę deuo tionis ſtudia connexuit. Cùm enim ait, Legem pone mihi Domine in uia præceptorũ tuorum: quid ſecundum noſtrę orationis hu militatem Dei eſſet, oſtendit. Cùm autem ſubiecit, Et exquiram eam ſemper: officium deuotionis ſuę protulit, & in cęteris quoque utrumque quodam complexu ſibi inuicem colligauit, cùm deduci ſe in ſemita poſtulauit, & cùm id ipſum uoluit. Prius enim quæ à Deo ſunt, cũ honore prępoſuit; & tũc quę

à ſe,

à ſe,cum confeſſione ſubiecit. Ita diuus Hilarius Dei auxilium, & humanæ deuotionis officium colligans atque cōiungens, utrūq; neceſſarium eſſe demonſtrat. Qua in re longè aliis argumētis utitur,quàm uos. Neque enim ex eo quòd Dei auxiliū Dauid poſtulat, eum nihil poſſe, ſed ex eo quòd ille Dei muneribus humanæ deuotionis ſtudia connectens, ſe legem Dei exquiſiturum eſſe dicebat, officium noſtrum cum Dei auxilio & gratia colligari debere concludit. Quæ autē hac de re hactenus diximus, ea tibi ſufficere poſſe exiſtimo, teque cum eccleſia Dei, ſanctiſque patribus iuxta ſcripturarum auctoritatem atque ſententiam deinceps crediturum eſſe confido, hominem in ſua conuerſione aliquid poſſe, & facere, & conſequenter illum & uoluntatis libertate præditum eſſe, & ad bona opera gerenda aliquid uirium habere, quæ quanquā infirmæ ſunt & imbecillæ, tamen cùm potentiſſimus gratiæ Dei fauor accedit, homini nihil impoſſibile eſt. Vides igitur non ſolùm omnes allegationes tuas uitioſo quodam malæ intelligentię fundamēto ac ſenſu, quę diuinis literis attribuis, niti, uerumetiam omnia argumenta tua quibus liberum uoluntatis arbitriū conaris euertere, ſophiſtica, fallacia, ca-

ptioſa eſſe? A te igitur peto, ut & tuæ ſalutis uelis habere rationem, & quoniã hic agitur non de umbra aſini, ſed de uita & de ſalute tua, uerane ſint ea quæ iam diximus, quieto animo tranquillaque mente cõſideres. Quæ cùm uera eſſe deprehenderis, in quantum erroris ac confuſionis barathrum, dum illorũ impoſtorum calliditatem, fraudeſque minus caues, te ipſe conieceris, liquidò intelliges. Nullus hic eſt negligẽtiæ, nullus ſocordię locus, neque iam aliena, ſed tua res agitur. Nõ hic de fumo diſceptamus, nec de lana caprina rixamur, ſed hoc negotiũ ad animæ tuæ, quam toti mundo iure anteponimus, ſalutẽ pertinet. Quæ cùm ita ſint, non erat hic ſophiſmatibus, ac puerorum in morẽ captiunculis agendum, ſed omni cõcertatione pertinaciaq. depoſita, prudẽter ac maturè, quicquid contra fidem noſtrã ab aduerſariis adferebatur, examinandũ erat, antequam aut ipſa fides reiiceretur, aut in eius locum perfidia reciperetur à nobis. Inſignis enim eſt temeritas, cùm aut falſa aut incognita res approbatur. Nec quicquam eſt turpius, quàm cognitioni & perceptioni aſſertionẽ approbationemq. præcurrere. Quare quod tum cùm maiorum tuorum religioni ac fidei nũcium remiſiſti, facere neglexiſti, ut aduerſariorum

riorum

riorum argumenta rationeſq. diligenter expenderes, uel nunc cùm tibi & tuum errorem, & illorũm à quibus circũuentus & captus es, fraudem ita perſpicuè demonſtrauimus, facere ſtude. Adhuc diligentiæ locus eſt. Itaque quod tibi eripuit ignauia, reddat induſtria. Quid ceſſas? quid hæres? Nihil tibi neque graue præcipimus, neque difficile ſuademus. Illi uerò impoſtores tui, qui tibi in hoc liberi arbitrij dogmate pro ueritate mendacium, pro luce tenebras, pro fide perfidiam tradiderunt, in cęteris quoque, quibus contra eccleſiæ catholicæ, in qua Chriſto nomen dediſti, fidem ſupra petram diuina uoce fundatã, te prauis opinionibus imbuerunt, pari (mihi crede) candore, eademq́. ſinceritate in cæteris abuſi ſunt, quẽadmodum à Catholicis doctoribus, ſi odio quod in eos iniuria concepiſti, pauliſper depoſito, ueritatẽ ab iis diſcere uolueris, facillimè intelliges. Tui ergo ſiue miniſtri, ſiue concionatores in nos multa cõfingũt, tibiq́. falsò perſuadẽt, nós contra perſpicuam uerbi Dei ueritatem, contra ſcripturarum auctoritatem atq; ſententiam docere nonnulla, quorum ſi uelles ſcire rationem, uideres profecto nos in ſingulis fidei dogmatibus ne latũ quidem unguẽ à uerbi Dei regula, ipſaq́.

ueritate,

ueritate, honeſtate, ratione diſcedere. Sed quoniam longum eſt per uniuerſa diſcurrere, ut illorum calumnias detegamus, una de bonis operibus diſputatione contenti erimus, quibus nos tantum tribuere aduerſarij mentiuntur, ut eorum merito regnum cæleſte ab hominibus comparari doceamus. Quod certè nemo noſtrorum unquam neque dixit neque credidit. Noſtri namque doctores de bonorum operum meritis diſſerentes in hoc omnes conueniunt, ut uerè ea uitæ æternæ meritoria eſſe dicant: per ſe tamen & ſecundum naturalem ſuam conſiderata bonitatem nunquã ex condigno futuræ gloriæ meritoria eſſe docuerunt. Quid

Rom. 8. enim hac Apoſtoli ſententia uerius? Non ſunt condignæ paſſiones huius ſæculi ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Num igitur hęc eiuſdem Apoſtoli falſa erit?

1. Cor. 3. Vnuſquiſque propriam mercedem accipiet ſecundùm ſuum laborem. Minimè uerò. Idem enim eſt in utraque ueritatis tenor. Reſtat igitur ut qui de libero uoluntatis arbitrio ſatis multa iam diximus, de operibus deinceps nonnulla dicamus. Hic ergo eorũ quę pro arbitrii libertate ad epiſtolam tuam reſpondimus, ſit modus.

De

De humanis operibus ac meritis.

HActenus de uoluntatis humanæ libertate, ſiue de libero arbitrio diſſeruimus. Veniamus nũc ad bonorũ operũ quæſtionẽ, quibus cur ueſtri miniſtri tantas inimicitias, ac tam exitiale bellum indixerint, diu (fateor) multũq. dubitaui; ſed ad extremum illius plus quàm Vatiniani odij hanc unicam cauſam eſſe cognoui, quòd ii nihil tantopere ſectantur, quàm id quod Dauid maximè uerebatur atq; fugiebat, cùm Deũ rogans, diceret: Non declines cor meum in *Pſal.* 140
uerba malitiæ, ad excuſandas excuſationes in peccatis. Hoc igitur tanquam peſtẽ aliquã propheta fugiebat ac uerebatur, iſti uerò lõgè aliter. Ne que.n. alia de cauſa contra liberum uoluntatis arbitrium, & bona opera caninam exercuere facundiam, niſi vt uitia ſua atque peccata defenderent, ſuamque negligentiam hoc prætextu adũbrarent. Apoſtoli & euangeliſtæ dici uolunt. Iure igitur uerentur ac metuunt, ne quis ab illis uitę innocentiam ac ſanctitatem, quæ tam glorioſum nomen deceat, poſtulet, ne quis eos Apoſtolis ſanctiſque hominibus diſſimiles iudicet, de quibus Apoſtolus ſcribit his uerbis: Circũiẽ *Hebr.* 11.
runt in melotis, & in pellibus caprinis egentes, anguſtiati, afflicti, quibus dignus nõ erat

mundus, in ſolitudinibus errantes, in mõtibus, & ſpeluncis, & in cauernis terrę. Neque igitur beato Ioanne Baptiſta, qui nõ modò uixit abſtemius, uerùm etiã locuſtas prõ delitiis habuit, neq; diuis Paulo, Antonio, Hilarione, Bernardo, aliiſq. huiuſcemodi; qui repugnantem carnem ita uigiliis inediaque confectam ac domitam, ſpiritus legibus ſubiecerant, ut eos toto orbe terrarũ omne hominum genus miraretur, atque in cælũ laudibus ferret, inferiores haberi uoluerũt: ſed ad eam laudem & gloriam lõgè alio itinere ſibi nitendum putauerunt. Cùm enim illos ob uitæ auſteritatem ſuſpiceret orbis, iſti aliquanto ſcilicet prudẽtiores, quibus illud durum ac ruſticanum uitæ genus minus probaretur; ut excuſatione digni exiſtimarentur, multos errores callidè ſanè fabricati ſunt. In primis igitur bonorum ac malorum operũ fontem, liberum uoluntatis arbitriũ hominibus eripere conati ſunt: deinde bona opera nullo modo fieri poſſe. ad extremũ, etiãſi illa fieri poſſent, inutilia tamen eſſe dixerũt. In quo uidentur fuiſſe nimium diligentes. Quid enim opus eſt pluribus uerbis? Nam cui ſemel perſuaſeris nec eſſe in hominibus arbitrij libertatẽ, nec bona opera fieri poſſe, hũc, ſi bonis operibus non incumbat, ingratis

gratis abs te excuſari neceſſe eſt. Porrò ſi id perſuadere difficile eſt, certè uel illud ſatis eſt, opera inutilia eſſe, nec aliquid meriti fructuſve adferre poſſe. Quis enim in bonis operibus ſibi putet elaborandũ, ſi uana inania, inutilia eſſe credat? Sed ſi illa tria ſimul alicui perſuaderes, quid ad eius excuſationẽ addi poteſt, niſi fortè illud, bona opera homini nõ ſolùm inutilia & uana, ſed etiam pernicioſa atque adeo ſuperſtitioſa eſſe? Quod aduerſarij de ſanctiſſimorũ hominũ, qui ætatẽ in ſolitudine cõtriuerũt, operibus pronunciare non dubitãt, quibus & Eliam, & Elizeum, & Ioannem Baptiſtam ante iudicij diẽ iudicis ore laudatũ, alioſq. huiuſmodi, quos & Apoſtolus tot encomiis tãtiſque laudibus ornat ac prædicat, & illius auſteræ ſolitariæq. uitę, quã iſti ſuperſtitioſam uocant, auctores fuiſſe non dubiũ eſt, facilè adiungent. Neq; uero expeditior ulla ratio excogitari potuit, qua iſti perditiſſimum illud ſuum uitæ genus adumbrarẽt, ac ſe quo minus illorum ſanctitatẽ atque uirtutẽ per eadem bonorum operũ, quæ in ijs maiores noſtri admirabãtur, pręclara ueſtigia ſequerentur, excuſare poſſent. Quæ cùm ita ſint, miniſtris ueſtris iure ſuccenſeo. Hi ſiquidẽ contra omnium nõ modò prophetarũ Dei *Hebr.* 11.

morem, ſed etiam Apoſtolorũ inſtitutũ, cõtra ueteris eccleſiæ totiuſq. antiquitatis doctrinam atque ſententiam, bonis operibus deprimendis atque calcandis ita ſtudent, ut iis bellum indixiſſe uideantur. Quo ſtudio illud certè conſecuti ſunt, ut ſæculi noſtri homines, in omne malorum genus ſua ſponte plus ſatis pronos, in tantum deſidiæ ſomnũ, imò ueternũ adduxerint, ut qui antè ſuæ ſalutis immemores uidebantur, nunc uirtutis odio inflammati, in omne uiciorum genus concitatiſſimè rapiantur. Cùm autem hinc omnes diuinæ ſcripturæ tam multis & uerbis & exemplis homines ad bona opera hortentur & moneant, inde uos tantum illorũ odium pectoribus humanis ingeneraueritis, ac pœnè totum orbem in tantam negligentiam deſidiamq. traxeritis, quis ueſtram nõ miretur audaciã, cùm negatis uos quicquam docere quod ad illa diſſuadenda pertinere uideatur? Certè ſi ueſtra paradoxa, omniaq. alia quæ contra bonorum operum exercitiũ adfertis, uera eſſent; ueſtri tamen officii erat, illud doctrinæ genus, quod negligentiæ ſocordiæq. patrocinari uidebatur, ſupprimere, maximè hoc tempore, quo inter homines ita refrixit charitas, ut bonis operibus uix ullus relictus ſit locus. Quæ

cùm

cùm ita ſint, quid ſibi uolunt tot ueſtræ in bona opera declamationes? Quis hinc fructus ad Chriſtianã Rempub. redit? Nullus omnino, ſed potius diſciplinę ruina, bonorũ morũ euerſio, ſomnolẽtia quædã, atq; deſidia, qua tãquã ueterno ſic occupatę ſunt hominũ mẽtes, ut ad uirtutis ſtudiũ excitari nõ poſſe uideantur. Quare contentionibus omnibus, & acutis aduerſariorum diſputationibus prętermiſſis fidei noſtrę de bonis operibus ueritatẽ, iuxta ſcripturarũ auctoritatem atq; ſentẽtiã ſimpliciter oſtẽſurus, me etſi nõ omniũ curioſè expectationi, officio tamen meo, ſi bona opera nõ ſolũ ad ſalutẽ neceſſaria, ſed etiã homini utilia eſſe demonſtrauero, ſatis facturũ eſſe confido. Nã cui hoc de ſuis operibus exploratũ eſt, is in hac parte ſatis doctus eſt, cùm ſalutis æternæ uiã teneat. Illa uerò cõtẽtioſa uerborũ acumina, quę in hoc negotio pacis inimicus excogitauit, ad ſalutẽ conſequendã nemini ſunt neceſſaria. Quis ergo miniſtris ueſtris de hac materia ſic digladiantibus, ut multas cõtentiones & rixas ad rẽ minus pertinentes, in orbẽ inuexerint, nõ iure ſuccẽſeat? In primis igitur regulã quandã generalẽ habeo, ex qua omnia ſcripturę loca, in quibus de humanis operibus agit, rectè intelligi poſsũt ad hũc modũ.

REGVLA.

NIhil de Deo diuinis literis continetur, quod aut ad bonos, ne in uia exercitioq́. uirtutũ perſeuerent atque proficiant, deterrendos, aut ad malos in uitijs animandos, & quo liberius in peccatorũ impuritate permaneāt, corroborandos, ullo modo pertineat. Nam ſcripturæ bonos hortantur, ut in uia, ſtudioq́. uirtutum non modò perſeuerent, ſed etiā proficiant, malos hinc ut ad Deũ per pœnitentiæ uiā redeant, admonent, inde in uiciorũ luto perſeuerantibus ſupplicia comminantur. Hæc eſt prima generaliſq́. Dei uoluntas, quæ ut hominibus perſpecta eſſet & cognita, quicquid de humanis operibus bonis ac malis diuinæ literæ ſonant, memoriæ proditũ eſt. Deus enim ille ſummus ac uerus, qui ſic malos odio, bonos amore proſequitur, ut hos in itinere ſtudioque uirtutis perſeuerare, illos ab improbitate regredi uelit, nihil unquam dixit aut fecit, ex quo aut probi deſerendæ uirtutis, aut improbi deſperationis, aut impœnitentiæ anſam capere poſſent. Itaque non eſt mihi dubium, quin omnes ſani iudicij homines, quique Deum ſapientem, bonum, iuſtum, φιλάνθρωπον eſſe credũt, illud facilè cōcedēt, cum quēadmodum nō uult mortē peccato-

ris,

ris, ſed potius ut cōuertatur & uiuat, ita nihil unquā neque dixiſſe, neq; feciſſe, quod huic ſuæ uoluntati cōtrarium uideri queat. Porrò ſi Deus incredibili clemētia peccatorē poſt tanta ſcelera prouocat ad ſalutē, non minus ardenter (mihi crede) ut iuſti in uirtu tis ſtudio perſeuerēt, cupit, nec minus cupidè iis perſeuerandi uires ſuggerit. His ita cō ſtitutis, & de Dei benignitate, clemētia, φιλανθρωπίᾳ non modò ratione, ſed etiam ſcripturæ auctoritate confirmatis, ex hac regula conſequenter aliam generalē, ad examinandum omnes explicationes, atque interpreta tiones, omneſque ſenſus, qui ſcripturæ locis in quibus agitur de humanis operibus, attribuuntur, elicimus ad hunc modū: Omnis expoſitio interpretatioq́. ſcripturæ, quæ eò pertinet, ut aut probos à ſtudio perſeueran tiaq. uirtutis deterreat, iiſq́. cœptum in bonis operibus iter deſerendi occaſionē præbeat, aut improbos in uitiis ac uitæ impurita te confirmet, uel certè iis anſam præbeat, ut aut uitæ emendationē negligant, aut ſi pœnitētiā egerint, fruſtra id eſſe facturos, quaſi Dei ſententia mutari non poſſit, ac proinde hi in deſperationis barathrū incidant, reiicienda eſt atq; dānanda, tanquā diuinæ uoluntati, ſpirituiq́. ſancto, qui nihil unquam

eiuſmodi dixit aut fecit, aut ſtatuit, repugnãs. Si quis eſt igitur ſcripturæ locus, cuius hæc uideatur eſſe ſententia, ut aut improbis ad perſiſtendũ in uitijs atq; peccatis animũ addat, aut probos à uirtutis ſtudio, perſeuerãtiaq́. deterreat, ita exponendus eſt, ut cũ hac prima Dei uolũtate, quę multis aliis ſcripturæ locis euidentiſſimè demonſtratur, cõgruat atq; cõſentiat. Itaq; cùm iſtæ ſentẽtię: Bona opera fieri nullo modò poſſunt. Ieiunia, chameuniæ, uigilię, cęteręq́. corporis afflictiones, & omnis uitę rigidioris auſteritas, deniq; pœnitentiæ, quæ dicimus, opera ſuperuacua, inutilia, non neceſſaria ſunt, propterea quòd ſola fides ſufficit, & ſi quæ ſunt huiuſcemodi ſentẽtię, cùm illi primę Dei uoluntati repugnẽt, cũ diuinis literis cõgruere nullo modo poſſunt. Cùm igitur aduerſarij taliũ ſententiarũ architecti, ad eas cõfirmandas aliquẽ ſcripturæ locum proferũt, nõ eſt dubiũ quin ſcripturæ uerba torqueãt ac repugnãtia trahãt, propterea quòd aliis in locis ſententiã ſuã, ac uoluntatẽ lõgè aliã eſſe Deus ſatis luculẽter oſtẽdit. Illud quoq; animaduertendũ eſt, peccatũ ita naturæ noſtræ repugnare atq; eſſe contrariũ, ut quiſquis illud admiſit, aut excuſare, aut celare, aut negare conetur. Atqui poſt originale peccatũ

& in malū ac uitium proni ſumus, & à uirtu tis ſtudio neſcio qua pigritia retardamur. Quæ omnia incōmoda ex carne, imò ex naturæ corruptione naſcuntur. Omnis enim homo ab ineunte ætate in malum pronior quàm in bonū, errorem potius quàm ueritatem amplectitur: &, ut ait comicus, omnium ingenium à labore procliue eſt ad libidinē. Hinc carnales homines, & animales, qui nō ſapiunt ea quæ Dei ſunt, ſua peccata ſuamq. deſidiā excuſare conantur, quo liberius & uitiis, quorum illecebris ad mortiferas uoluptates trahuntur, inſeruiant, & præruptum atq; confragoſum uirtutis, in qua laboris ac difficultatis ineſt plurimum, iter deſerant. Cùm igitur id genus homines diuinas literas legunt, ſiquis occurrat locus, quo uitia ſua honeſto aliquo prętextu excuſare, illáq. ſocordiā ſuā, boniq. faciēdi negligētiā alere poſſint, tū demū quaſi reperto theſauro gau dēt & exultāt. Si quis autē propheta, uel cō cionator uſq; adeò ingenioſus extiterit, ut huiuſcemodi excuſationes nō ſolùm excogitare, ſed etiā defendere poſſit, nemo hoc uno libentiùs audietur, nemo gratior omnibus, nemo iucundior. Id enim attulit, quod omnes amarēt, uerumq. eſſe geſtirent. Neç aliud in cauſa eſt, ut pſeudoprophetę ſemper

audi-

auditorũ multitudine floruerint. longè plures etenim ſemper fuerunt, qui uitiorum illecebris capti, uoluptatibus inſeruirẽt, quàm qui arduũ uirtutis iter ſcãderẽt. Illi ipſi protoplaſtæ parentesq́. noſtri Adam & Eua peccatum ſuum excuſare conati ſunt, hæc in ſerpẽtem, ille in uxorem, imò in ipſum Deum culpam reiiciens. Exinde miſeri eorum poſteri uanitatẽ ita complexi ſunt, ut uitia ſua atque peccata ſemper excuſare, mendacioq́. protegere atq; celare conẽtur. Quis enim ſe peccaſſe libenter fatetur? Quis ſe in culpa eſſe non inuitus agnoſcit? Iſta potius peccatis noſtris obtendimus: Aliter, non potui uitam mutare, me ipſum retexere, uitiis in quæ ꝓpè inuitus abripior, repugnare non poſſum. Ita eſt in fatis, diabolus, aut neſcio q̃s alius, me illud peccatũ admittere coẽgit. ſic homines uitia ſua excuſare conſueuerunt. Quid autẽ diuinę literæ? Certè peccata omnia ex humano corde ac uoluntate, tanquã ex fonte naſci pronũciant. Inde eſt illud quod Do-
Ozee 13. minus per Prophetam ait: Perditio tua ex te Iſraël. Inde illa Chriſti ſententia: Ex corde
Mat. 15. prodeũt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falſa teſtimonia, blaſphemiæ. Hæc ſunt quæ coinquinant hominẽ. Nihil eſt igitur quod apud iuſtũ Dei

tribunal

tribunal cuiuſquã uitium aut culpam defen dere, excuſare, purgare; nihil quod honeſto aliquo iuſtoq́. prętextu celare poſſit. Itaque nec ueri Prophetæ, nec ſancti Doctores unquam aliquid aut dixerunt, aut ſcriptũ reliquerunt, ex quo aut in uitio cõfirmari poſſit improbitas, aut cuiuſquã in malo ꝑtinacia, in bono ſocordia iuſtã excuſationẽ capiat. Eò fit, ut illi non ſolũ minus accepti ſint ac minus grati, uerùm etiã tanto ſemper odio laborauerint, ut & paſſim uexati, afflicti, profligati, deniq; ex iis plurimi acerbiſſimis ſuppliciis excruciati, uitaq́. priuati ſint. Veritas enim odium parit. Amara ſunt delicatis, & improbis, quorũ hoc noſtro miſerrimo ſæculo magna copia eſt, præcepta iuſtitiæ. Cõtrà falſi prophetæ accepti, cariq́. ſunt omnibus. Aſſentatio enim uitiorũ adiutrix, in ſtultorum, quibus plena ſunt omnia, mẽtes blãdè influit. Quæ cũ ita ſint, cur adeò multi hinc Machometi impietatem ſequantur, inde auſterũ illud uitæ genus fugientes monaſteriũ deſerant, atque in ueſtra caſtra transfugiãt, non eſt obſcurũ. Vt enim Machometi impia lex, ita prçclara religio ueſtra omne libidinis genus impunè permittit. Sed ut ad rẽ reuertamur, illud tibi confirmo frater, has inimicitias quas impoſtores ueſtri bonis operibus

indi-

indixerunt, hoc bellum quod cũ pudicitia, ieiunio, pœnitentia, cæteriſq. uirtutibus gerunt, nõ aliunde quàm ex uno libidinis affectuſq. carnalis fonte manare. Solum enim uitium eſt uirtutis inimicum, cui ſiciſti aſſentari ſtudent, ut id non modò tegere, ſed etiã prætextu neſcio quo atq, ἀδυναμίας nomine adũbrare conẽtur. Inde bona opera fieri nullo modo poſſe dicũtur. inde inutiles ſuperuacuæq. uirtutes, quippe nõ neceſſarię, quę apud Deum nullius ſint meriti, nominãtur. inde omnia in homine à Deo fieri, ipſum autem hominem nihil poſſe. Sic nimirum humana fouetur ignauia. Sic bonũ quod fieri nullo modo poteſt, impunè dimittitur. Sed iſte carnis affectus, non aliqua religio, ſed mors eſt; quemadmodũ ex Apoſtolo in tuis literis ipſe commemoras. Mors, inquam, eſt iſte carnis affectus, propterea quod ii, qui hunc ſequuntur, ad mortem eamque perpetuam conciti currunt. Quod natum eſt ex carne, caro eſt; ueſtra ergo ſecta, quã religionem dicitis, cùm ex carnis affectu, atq; prudentia, quæ Dei ſapientiæ ueræq. religioni ſubiecta eſſe non poteſt, nata ſit, quid eſt aliud niſi caro? Quare ſi ſapis frater, iſti carnis affectui renũcians, uerã religionẽ amplectere, quæ crimina nunquã excuſans, hinc

in

in criminoſos, ne flagitiorũ & criminũ ſomno opprimantur, aſſiduè clamat, inde bona opera laudãs, probos homines iuxta Apoſtoli ſententiam gloria & honore proſequitur. Rom. 2.
Hęc friuolis excuſationibus noſtris nullũ relinquit locum. hęc bona opera cum auxilio gratiæ Dei, quæ nulli uerè petenti negatur, nõ modò facilia, uerùm etiã neceſſaria, utilia, æternæ uitæ meritoria eſſe pronunciat. Quę omnia eò pertinẽt, ut & probi incepto uirtutũ itinere, non ſolùm perſeuerent, ſed etiã currentes, ut dicitur, incitẽtur, & improbi ad pœnitentiã prouocati, mortiferis uoluptatibus abdicatis in meliora conuerſi, ad Deũ redeant. Hæc omnia ad Dei uerbũ primãq. illã uoluntatẽ ac ſententiã, de qua ſuperiùs diximus, omnino quadrant atq; conueniunt, cum illoq. carnis affectu ſiue prudentia, quę peccata nõ damnat, ſed excuſat, & cum omni lege, quam nõ Dei ſapientia, ſed carnis prudentia ſanxit, planè pugnat, eiq. cõtraria eſt. Pluribus uerbis hoc agẽdũ putaui, ut qua in explicandis ſcripturis arte, cõſtantia, prudẽtia utamur, intelligas. Neq; enim ita diuinas literas explicamus, ut à primis illis ſcripturæ propoſitionibus atq; ſentẽtiis, quibus hinc Deus iuſtus, bonus, uirtutis ac bonorũ operũ amator inducitur, inde

impieta-

impietatis patronus auctorque peccati negatur, uel tranſuerſum, ut dicitur, digitũ recedamus: contra quas quicquid in ſcripturarũ explicatione ꝓfertur, non modò falſum eſt, uerùm etiam ipſi ſcripturæ contrarium.

His ita conſtitutis, iactoque doctrinæ noſtræ de bonis operibus alto ac ſolido fundamento, erroris autẽ ueſtri non ſolùm ex carnis affectu nati, ſed etiam ſupra carnis prudentiam, quæ nihil aliud eſt niſi mors atque corruptio, non ſtabili ueritate, ſed mendaci uanitate fundati, radice detecta, ueniamus ad cauſæ noſtræ demonſtrandam honeſtatẽ, operaq́. bona cum ſcripturarum auctoritate congruere; quæ uerò contrà dicuntur à uobis cũ ueritate pugnare doceamus. Quod ita ſimpliciter, apertè, perſpicuè planum me facturũ eſſe cõfido, ut ſi quis in tuo pectore ueri relictus eſt amor, illa falſa carnis & mortis religione, quã infeliciſſimè amplexus es, repudiata, ad nos ipſumq́. ueritatis domicilium te rediturum eſſe non dubitem. Porrò ſi neq; adeò perſpicua erroris tui refutatione, neque ipſius ueritatis clariſſima demonſtratione te mouere, atq; ab hoc miſerrimo affectu abducere potuero, me de tua ſalute deſperare neceſſe eſt, ac deinceps exiſtimare, te à Deo derelictum, in reprobũ ſenſum

incidiſſe,

incidiſſe, quemadmodũ illos pręclaros miniſtros, impoſtoreſque tuos, à quibus huiuſce modi erroribus imbutus es, erroris barathro iam obrutos ac demerſos eſſe planum faciã. In primis igitur ne contentioſum funem traham, quod de noſtris operibus dicis, tibi ex parte concedo, nimirum ea ſine fide nullo modo ſalutis æternæ eſſe meritoria. Vnde Gentilium philoſophorum, Iudæorum, Hæreticorum opera Deo non eſſe grata, id eſt, æternæ uitæ meritoria nõ eſſe concedimus. Sine fide ſiquidem, ut ait Paulus, impoſsibile eſt placere Deo. & alibi: Quod nõ eſt ex fide, peccatum eſt. Inde eſt illud Auguſtini: Omnis infidelium uita peccatum eſt. Nam ubi deeſt agnitio ueritatis æternæ, falſa uirtus eſt etiam in optimis moribus. Ideoq. Plato, Cicero, Cato, cæteriq. philoſophi fide carentes, imaginem quandam ſpeciemq. uirtutis habere poterant, ueram uirtutem habere non poterãt. Ita quæcunque uirtutis imago, quicquid boni operis in hæretico fuerit, neque uera uirtus, neque Deo grata eſt, propterea quòd is corde non retinet fidem, ex qua tanquam ex fonte, bonorum operum riuus manat & profluit. Hæc igitur ſi hæretico ſemel errore uitietur, omnia opera noſtra corrumpit ac polluit. Quæ cùm ita ſint, patere

Heb. 11.

Rom. 14.

tere me quæſo frater uerum dicere. Neque enim hęc eò profero, ut te ad iracundiã prouocem; ſed ut tibi tuum periculum oſtendam. Cùm primùm illam Apoſtoli ſententiam, quam contra nos facere arbitrabaris, in epiſtola tua legi; Omne quod non eſt ex fide, peccatũ eſt; lachrymas profectò tenere non potui. Nam cùm hinc unam tantùm fidem, unum Deum, unam eccleſiam, unum baptiſma eſſe, ſoloſq. catholicos uerã, & fidem, & eccleſiã retinere intelligerẽ, illudq. Auguſtini mihi tũ ueniſſet in mentem; liberum arbitriũ quiſquis negauerit, catholicus nõ eſt: inde omni te ſtudio ac diligẽtia eniti uiderem, ut probares in nobis nõ eſſe liberũ uoluntatis arbitrium; facere non potui, quin te catholicum non eſſe, ac proinde hæreticũ eſſe concluderem. O miſerum, inquiebam, fratrem meum, & toto lachrymarum fonte plangendum! ò infelicem illius coniugem, probatiſsimam alioqui feminam! ò deplorãdam utriuſque conditionem! Quicquid.n. hi conantur, quicquid moliuntur, quicquid efficiunt, peccatum eſt. Porrò ſi iuxta Pauli ſententiã ſtipendia peccati mors, quid aliud illi quos tam ardenter amo, quorum ſalutem ita auidè ſitio, quid inquam illi aliud agunt, quàm ad mortem concitatiſſimè properare?

quid aliud quàm ſuum in dies ſingulos augere ſupplicium? Malè ſit illi peſti, quæ tam cara mihi nomina circumuenit, quæ mihi cō iunctiſſimos ac dulciſſimos homines à ſalutis & uitæ itinere abductos, in illos mortis anfractus erroriſq. præcipitia rapuit. Quid illud? quo gemitu, quo dolore mihi deuorádum putas frater, cùm abs te Dei uerba, quę non intelligis, contra te ipſum produci uideo, cùm te proprio mucrone cōfoſſum aſpicio? Quid enim aliud illa Dei uerba ſibi uolunt, niſi ut te tuo ore damnatum eſſe demōſtrent, niſi celeriter ex hoc errore, tanquam ex incendio fugias?

Sed ut ad id, unde digreſſa eſt, reuertatur oratio, opera fidei lumine deſtituta, uitam æternam non mereri, tecum haud inuitus fateor: neque tamen cum diſputationis campum ingredior, ut quid huiuſcemodi opera ualeant, hoc loco quærendum putem. Illud certè non negauerim, hæc nonnunquam ex congruitate quadam aliqualiter Deo grata eſſe, & quidem ita grata & accepta, ut illorum contemplatione Deus iis qui ea faciūt, gratiam ac fidei lumen largiatur. Sed hoc loco nolo contentioſum funem trahere, nec quid ante fidem opera ualeant, quærere. illud tãtum quod ex ſcripturarū fonte hauſi,

liberè dico, eum hominem qui nõ malitia, aut pertinacia ducitur, ſed errore, & nihilominus bonis operibus incumbẽs, Deum religioſis precibus orat, à Deo non deſeri, quin illi ueræ fidei lumen tribuat. tanta eſt enim Dei benignitas, ut ſi ita erranti humana remedia ſubſidiaq́. deeſſent, angelũ mitteret potius, quàm illo in errore iacere pateretur. De iis autẽ loquor qui nec malitia impulſi ſunt ut amplecterentur errorẽ, nec opinionẽ ſuã tanquã ueram pertinaciter obſtinateque defendunt, ſuiq́. erroris expertes nec odio proſequuntur, nec in ſuam factionem abripere conãtur. Qui enim ita ſunt animo cõſtituti, propter ardẽtes illos affectus amoris, & odij, quibus eorum iudicia cæcantur, ueritatis lumen uidere non poſſunt. Cæterùm qui ſimpliciter errans, neminẽ odit, ſed bonis operibus ſtudens, Dei auxilium precibus implorat, hũc, modò adniti uelit, illudque quod eſt in ſua poteſtate, præſtare, ad ueritatis cognitionẽ peruenturum eſſe non diffido. Præſtet, inquã, illud quod in ſua poteſtate eſt, id eſt, non tentet Deum, ſed cùm aliquem eſſe, à quo ueritatem diſcere poſſit, intelligit, ad illum accedere, ab eoque quid facto opus ſit, diſcere non grauetur. Neque uerò me ad hanc opinionem atque ſentẽtiã

temeri-

temeritas, ſed obſtetricum Aegyptiarum ad ueri Dei fidem præclara conuerſio id ut aſſeram facit, quæ ob humanitatis opera populo Dei exhibita ad ueri Dei uocatæ fuere fidem. Sic enim expreſsè de illis ſcriptura *Exod. 1.* teſtatur quod benefecit illis Deus, & quia timuerunt Deum, ædificauit illis domos. Super quo Lyranus ait, quòd propter pietatem erga innocentes, & timorem Dei dedit eis Dominus gratiam, per quam conuerſæ ad fidem unius Dei & ritum fuere Hebræorum. Hæc obſtetricum pietas, & Dei timor ſi peccata fuiſſent, & nõ aliqualiter placuiſſent Deo, certè tantam non accepiſſent gratiam. Fuerunt ergo earum opera ante uerã unius Dei fidem aliqualiter præparatoria & diſpoſitiones ad gratiam, & aliqua ratione grata. Hoc igitur eſt quod initio dicebam, eiuſmodi infidelium opera, licet æternæ nõ fuerint meritoria uitæ, peccata tamen dici non poſſe, aut nõ aliqualiter placuiſſe Deo, quandoquidem eorum contemplatione ſingulare iſtud uerę fidei donum conferebat illis. Vt ſint autem æternæ meritoria uitæ: uera, ſana, & uiua in Deum opus eſt fide, quæ bona hominis opera in tam ſublimem erigat dignitatis gradum. Viua enim fides opera humana in tam ſublimẽ erigit dignitatem.

tatem. In hanc ſententiam recipio diſtinctionem tuam, qua opera duobus modis cõſiderãda eſſe dicis, uidelicet ante baptiſmũ, & tum meritoria non ſunt. Num igitur tecum ſentio omnia opera ante baptiſmũ eſſe peccata? Minimè? Neque enim hoc patitur illud, de quo ſupra diximus, exemplum. Satis eſt ergo quòd illa meritoria eſſe negamus. Nec ſanè opus eſt pluribus. Non enim committendum eſt, ut infideles atque impios à bonorum operum ſtudio deterreamus. Quòd ſi quis faciendũ putat, obſtetricum prædictarum exemplum in memoriam reuocet. ita cauebit, ne eiuſmodi hominibus iniuriã faciat. Secundò, opera poſt baptiſmum facta conſideranda eſſe dicis, quæ, ut tuis uerbis utar, Deus non modò ſibi grata eſſe dicit, uerùm etiam ſe remuneraturũ eſſe promittit. Qua in re non pugnabo tecũ; ſed tuam ſententiã meo calculo cõprobabo. Cùm igitur opera meritoria dicimus, num de infideliũ operibus loquimur? minimè uerò, ſed tantũ de Chriſtianorum operibus. Hic igitur duabus de cauſis uehementer admiror. Primùm, cur fideliũ opera meritoria neges, cùm ita Deo grata ſint, vt iuxta tuã ſententiã ſe illa remuneraturũ eſſe promittat. Deinde cur hæc infructuoſa dicas,

quæ etiã remunerantur à Deo. An quòd ab illo tã æquo iudice remuneratur, id inutile poteſt eſſe? Quis, cùm te tã pugnantia loqui uideat, ab illo ſummo Deo, ac nõ potius à cõtradictionis ſpiritu impulſum te eſſe arbitretur? Opera remuneratione digna eſſe iudicas, deinde negas eſſe meritoria, & quibus præmia attribuis, ea inutilia eſſe pronũcias. Quę (malum) eſt iſta orationis leuitas? quæ incõſtantia? quæ ambages? An nos ita ſtupidos homines, & bardos arbitraris, ut tam pugnãtia inter ſe pro ueris poſſimus amplecti? In Deo nõ eſt, eſt, & non, ſed, ut ſcriptũ eſt, in illo eſt. Ita in doctrina, quæ ab illo fonte manat & profluit, nihil eſt ſecũ pugnans ſibique contrarium. quæ autem à malo ſpiritu nata eſt, ea ſibi ipſi non conſentit. nec mirum, hanc enim contentionis ſpiritus peperit. Ita fit, ut in ueſtris dogmatibus ſit eſt, & non, magnaq́. ſententiarum, pugnanſq́. uarietas, quemadmodum infrà planum faciã. Et ſanè illud uehemẽter admiror, quòd nouellam hanc doctrinã ueſtram ſibi repugnantẽ atque contrariam ubique deprehendo. Quale enim eſt illud in primis, quod operum noſtrorum remuneratorem Deum eſſe cõceditis, ipſa uerò opera meritoria eſſe negatis? Poteſtne aliquid pugnãtius dici? Quid

2. Cor. 1.

enim remunerator & remunerabile, nonne correlatiua ſunt, ut loquũtur, & alterum pẽdet ex altero? Vnde & ea quæ ab Ariſtotele τὰ πρός τι, à noſtris relatiua dicũtur, natura ita cõiuncta ſunt, ut alterum ſine altero eſſe non poſſit. ut enim pater & filius, dominus & ſeruus, inter ſe cõferuntur, nec unum ſine altero intelligi poteſt; ita nec hominem doctum abſque doctrina, nec agentem, niſi ſit aliquid quod agi; nec remunerationem, niſi aliquid quod remunerari poſſit intelligas. Cùm igitur operum quę à regeneratis ac fidelibus fiunt, Deum remuneratorem eſſe fa tearis, ipſa opera quæ remuneratione digna ſunt, meritoria quoq; ſint neceſſe eſt. Quid enim aliud eſt remuneratione dignũ, quàm meritorium? Itaque remuneratione dignũ id dicimus, cui debetur præmium. Meritorium autem idem eſſe definimus. Nec aliud apud nos ſignificat hoc uerbum, quod fortè tanquam minus Latinum, & tinnulum, repu diatur à ueſtris. Sed non eſt de uerbo laborandum, quando ſenſus in tuto eſt. Verùm ut ad propoſitum reuertamur, ualde miror, te frater, qui rem acu maiore ex parte tange bas, atque in ipſius ueritatis adytum fortè delatus, rem uel præcipuam confitebaris, in ipſo ueſtibulo ſubſtitiſſe, ne acceſſorium,

ſine

ſine quo principale conſiſtere non poteſt, fa
tereris. Dediſti nobis quod eſt maximum,
cùm Deum remuneratorem eſſe confeſſus
es, cur illud, quod ex eo ſequitur neceſſa-
riò, eſſe aliquid remuneratione dignum ne-
gas? Qui patrem eſſe dicis, cur filium tollis,
ſine quo pater intelligi non poteſt? Deum
remuneratorem eſſe concedis, & nihil eſſe
uis, quod ille remuneret? Quid hac tua ora
tione uanius? quid inanius? imò inſanius?
Cur Deo uanum & inanem titulum remu-
neratoris adſcribis, nec illi quicquam, quod
remunerari poſsit, relinquis? Longè aliter
de Deo, quem iſti, neſcio qui, uerbo remu-
neratorem dicentes, re ipſa debitoque ho-
nore ſpoliare conātur, Apoſtolus loquitur:
Credere enim opus eſt, inquit, accedentem *Heb.11.*
ad Deum, quia eſt, & inquirentibus ſe remu
nerator eſt. Si Apoſtolo credis, crede omnia
uera eſſe quæ dicit: Deus (inquit) inquiren
tibus ſe remunerator eſt. ergo qui Deum
inquirunt, remuneratione digni iudicandi
ſunt. Eorum itaque labor ac ſtudium remu-
nerationis præmio dignum eſt, iuxta illud
quod in Apocalypſi Deus loquitur: Ambu *Apoc. 3.*
labunt mecum in albis, quia digni ſunt. Et
alibi Paulus: Gloriamur in Eccleſiis Dei pro *1. Theſ. 1.*
patientia ueſtra & fide, in omnibus perſecu-

tionibus ueſtris & tribulationibus, quas ſuſtinetis in exẽplũ iuſti iudicij Dei: ut digni habeamini in regno Dei, pro quo & patimini, ſi tamen (id eſt ſi pro quia) iuſtũ eſt apud Deũ retribuere his qui uos tribulant, & uobis qui tribulamini, requiẽ nobiſcum in reuelatione Domini Ieſu de cælo, cum angelis uirtutis eius in flamma ignis dantis uindictã iis, qui non nouerunt Deum, & qui nõ obedierunt Euãgelio Domini noſtri Ieſu Chriſti. Vides quid Apoſtolus de bonorũ operũ dignitate ſentiat? Vt digni habeamini, inquit, in regno Dei; & quæ ſequuntur. Conſentit Apoſtolus Petrus, bona opera præſcribens his uerbis: Vos autem fratres curã omnẽ ſubinferẽtes, miniſtrate in fide ueſtra uirtutẽ, in uirtute autẽ ſcientiã, in ſcientia autẽ abſtinentiã, in abſtinentia patientiã, in patientia autem pietatẽ, in pietate amorẽ fraternitatis, in amore autem fraternitatis caritatem. Hæc enim ſi uobiſcum adſint, & ſuperent, non uacuos, nec ſine fructu uos cõſtituent in Dei noſtri Ieſu Chriſti cognitione. Cui autẽ non præſtò ſunt hæc, cæcus eſt, & manu tentans, obliuionem accipiens purgationis ueterũ ſuorum delictorum. Quapropter fratres magis ſatagite, ut per bona opera certã ueſtrã uocationem, & electionem

faciatis.

faciatis. hæc enim facientes, non peccabitis aliquando. Sic enim abundãter miniſtrabitur uobis introitus in æternũ regnum Domini & ſaluatoris noſtri Ieſu Chriſti. Sic Petrus nõ ſolùm fidẽ, ut ueſtri, ſed etiam bona opera exigit, quæ qui non habet, eum cæcũ manuque tentantem tanquam ingredi nequeat, eſſe pronũciat; qui autẽ habet, is nec uanus, nec ſine fructu eſt, nec peccati naufragiũ facit. Quid? quòd per bona opera uocatio noſtra fit certa? Quid? quòd ea regni cæleſtis ianuam nobis patefaciunt? Et erit quiſquã qui eiuſmodi opera meritoria neget, quæ tã multiplicẽ bonorũ copiã ſubminiſtrant? Hæc autẽ duo nomina, merces & meritum, correlatiua ſunt. eſt enim merces meriti merces. Dignus eſt autem operarius *Luc. 10.* mercede ſua, ut in Euangelio Dominus ait, qui nos etiã operarios uocat. Merces igitur & meritũ inter ſe conferuntur. ubi merces, ibi meritum, quod bonorũ operũ laborem ſtudiumq. comitatur; propter quod meritũ ea mercede digna dicuntur. Omnia ſcripturæ loca, quibus Deus operibus bonis mercedem redditurus oſtenditur, nobiſcũ faciunt, noſtraque opera meritoria eſſe demonſtrant. quæ enumerare infinitũ eſt. nos ex multis pauca ponemus. Ad Abraham Do- *Gen. 14.*

minus

minus ait: Protector tuus ſum, & merces tua
Ruth. 2. magna nimis. In libro Ruth dicitur: Plenã
mercedem accipias à Domino Deo Iſraël,
*2.Par.*15. Et alibi: Erit enim merces operi ueſtro. Itẽ
Prou. 11. in Prouerbiis: Seminanti iuſtitiam merces fi
*Sapient.*5. delis. Et alio in loco: Iuſti autẽ in perpetuũ
uiuent, & apud Dominum eſt merces eorũ.
*Sap.*10. Item illud: Reddet Deus iuſtis mercedem
Eccl. 2. laborũ ſuorum. Qui timetis Deum, credite
illi, & nõ euacuabitur merces ueſtra. Item
*Hiere.*31. Hieremias: Eſt enim merces operi tuo. Ve-
Matth. 5. niamus ad nouũ teſtamentum: Gaudete in
illa die & exultate, quoniam merces ueſtra
Matt. 10. copioſa eſt in cęlis. & alibi: Qui recipit pro-
phetam in nomine prophetæ, mercedẽ pro-
*Marc.*9. phetæ accipiet. Qui dederit calicem aquæ
frigidæ &c. Amen dico uobis, non perdet
Luc. 6. mercedẽ ſuã. Merces ueſtra multa eſt in cæ-
Ioan. 4. lis. Item apud Ioannem: Qui metit, merce
1. *Cor.* 9. dem accipit. Et Paulus: Si autẽ hoc uolens
fecero, mercedẽ accipio. Item in Apocalypſi
*Apoc.*22. Deus loquitur: Ecce uenio citò, & merces
Hebr. 11. mea mecũ eſt. Moſes Apoſtolica uoce lau-
datur, quòd contẽpto Aegyptiorũ theſauro
in futurã aſpiciebat remunerationẽ. Sapiẽs
*Sap.*2. improborũ ſcelera deſcribens, ait: Excæca-
uit eos malitia eorũ, & neſcierunt ſacramen
ta Dei, neque mercedẽ ſperauerũt iuſtitiæ,

nec iudicauerunt honorem animarum ſanctarũ. En Sapiens inter impiorũ grauiſſima crimina recenſet, quòd ij mercedem iuſtitię non ſperauerunt. Quid hoc eſt? Certè nihil aliud, niſi arbitrari nullam bonis operibus propoſitã eſſe mercedẽ, id eſt, ea meritoria non putare. Quæ cùm legis frater, nõ caligãt oculi tui? nõ lingua torpet? nõ animo? non toto corpore perhorreſcis? O incredibilem animi tui ſtuporẽ, ſi iſta legiſti; temeritatem, ſi nõ legiſti! Dic mihi, tu noſtrã Eccleſiam iſta numquã uidiſſe arbitrabaris? tu Chriſti ſponſæ hanc temeritatẽ, imprudentiam, uanitatẽ adſcribes, ut nullo ſcripturarũ fulta pręſidio, noſtra opera meritoria eſſe definiat? Maiores noſtri diuinę ſcripturæ uolumina diligentiſſimè peruolutarũt, in quibus cùm adeò multa de operum meritis inculcata & repetita uidiſſent, hoc ſacrilegio ſe cõtaminari paſſi nõ ſunt, ut prodita ueritate, bona opera meritoria eſſe negarent. Quæ cùm ita ſint, uis me tã multas Dei calcare ſententias, ut tua, imò Caluini ſomnia ſuſcipiã & amplectar? Hinc Deus multis ſcripturæ locis, unicuique iuxta ſuorũ operum qualitatẽ ſe mercedẽ redditurũ eſſe promittit. Inde Caluinus oblatrat, opera nihil mereri, & tu me uis Caluino potius, quã Deo credere?

credere? Num obſcura ſunt Dei uerba, quibus innitimur, noſtramq́. ſententiam confirmamus? An opera non erunt meritoria, quibus mercedem Deus præmiumq́. promittit? Audacter ergo dicam opera bona regni cæleſtis eſſe meritoria. Sed moleſtum eſt, inquies, meriti nomen, quod in diuinis literis non habetur. Si meriti uis in ſcriptura reperiatur, quid de nomine laborandū eſt? Deus in ſcripturis operum noſtrorum remunerator dicitur, iiſq. merces tanquā debita promittitur, & tu in diuinis literis meriti mentionem fieri negabis? Cùm Deum patrem audis, ſtatim de filio cogitas, ſine quo pater eſſe non poteſt: ita qui de operum mercede tam multa dixit, is meritum ſi non uerbo, at certè re ipſa dixiſſe credendus eſt. Nam ſi merces ſine merito ne cogitari quidē poteſt, certè operis nomine meritum intelligēdum eſt. Sufficiunt hæc quidem homini minimè pertinaci, qui uerborum ſignificationem tenens, de ipſis uerbis rixandum non putat. Attamen ipſum meriti uerbū ſcriptura certo loco poſuit, dicens: Omnis miſericordia
Eccl. 16. faciet locū unicuiq; ſecundū meritū operū
Heb. 11. ſuorum. Et Paulus de Enoch: Priuſquam.n. transferretur, teſtimonium meruerat quòd placuiſſet Deo. Ita è Grȩco uertit Eraſmus.

QVAM

QVAM ABSVRDVS SIT HIC error, pluribus uerbis exponitur.

CAE terum quàm abſurdè opera eſſe meritoria negentur à ueſtris, hoc loco demõſtrare operępretium eſt. Illud in primis uehementer admiror, mala opera à te demeritoria dici, bona meritoria negari. Si hoc ita ſe habet, uide ne Deum iniquitatis accuſes. Cur enim ille hos ob mala opera ęternis ſupplicijs adiudicet, illos ob bona nullo prȩmio, nulla mercede dignos cenſeat? Poteſtne eſſe optimus atque iuſtiſſimus, qui malum opus æterna morte condemnat, bonum cum ſua gratia & cooperatione immortalitate dignũ eſſe non iudicat? Si mala opera tam acerbis ſupplicijs digna ſunt, dic mihi cur Deus bona opera tanto præmio tantaque mercede, quanta ſunt malorum ſupplicia, nõ repẽdit? Si Deus iuſtus eſt, cur & probis & improbis iuxta opera ſua non reddit? Et ſi ab homine opera præmio digna non poſtulat, cur illius peccata ſupplicio digna exiſtimat? Sed ad te redeo, cur (rogo) bonum opus mercede ac prȩmio dignũ eſſe nõ audes fateri, cùm malũ ſupplicio dignum eſſe fatearis? Cumque oppoſitorum eadem ſit ſcientia, qui hæc opera morte digna eſſe noſti, poteſne ignorare illa

digna

digna eſſe uita? Non minus hic Dei benigni tas, quàm illic iuſtitia periclitatur. At enim ut Dei gloriam conſeruetis, illiuſq. benignitatem & gratiã prædicetis, hoc orationis genus à uobis inſtitutum eſſe dicitis. Rectè, ſed ita gratiam extollitis, ac fertis in cælum, ut æquitatem ac iuſtitiam deprimatis in cœnũ. Nam cùm omnia gratiæ Dei adſcribitis, iuſtitiæ nihil: hanc nimis rigidam ac ſeueram inducitis, quæ cùm peccata tam acerbè puniat, uirtutes ne reſpiciat quidẽ. Si illa diuina maieſtas ſecundum uos ad miſerendum quàm ad puniendum propẽſior eſt, cur illã adeò trucem facitis, ut in malum opus ſeueriſſimè animaduertat, æquitatem illi detrahitis, qua bonum nullo præmio, nulla mercede dignetur. Si peccatum morte, & quidem ęterna dignum arbitramini, cur uirtutem uitæ præmio iudicatis indignam? Hoccine eſt Dei gloriam extollere? Imò uerò minuere. Nam ſi uera ſunt ueſtra paradoxa, iniquum Deum, qui in peccata acerbiſſimè ſæuiat, uirtutes ne reſpiciat quidem, exiſtimemus neceſſe eſt. Quis iam de Deo non iure queratur, quòd hominem adeò infelicem ac miſerum finxerit, ut operibus ſuis pęnam ęternã ſibi comparare poſſet, uitam æternam ne cũ gratia quidem poſſet? Bona opera, ut dicitis,
con-

cõtemnit & præterit, mala uſqueadeò exaggerat, ut infiniti ſupplicij animaduerſione condemnet. Atqui ſatius eſt, ut ait Seneca, prodeſſe etiam malis propter bonos, quàm bonis deeſſe propter malos. Et ut Iuriſconſulto placet, Satius eſt impunitum relinqui facinus nocentis, quàm innocentem damnari: fauores enim ampliandi ſnnt, rigor reſtringendus. Contrà iuſtitiæ Dei rigorem in hos amplias & intendis, in illos tam iniquũ facis Deum, ut eorum bona opera, innocentiam atque uirtutes pro nihilo putet atque deſpiciat. Quanto melius noſtri Theologi Deum dicunt punire citra condignum, remunerare ultra condignum, minus fortaſſe Latinè; ſed hic res, non uerba quæruntur. In remunerandis ergo bonis hęc duo, iuſtitia liberalitaſq. coniuncta ſunt. Iuſtitiæ eſt, quòd operibus noſtris magna quædã merces ac præmium debebatur à Deo; liberalitatis, quòd ille multo amplius, quàm opera merebantur, munificentiſsimè cõcedit. Sed duas iſtas in remunerãdis bonis fulgere uirtutes diuinarum literarum teſtimoniis comprobemus. Apoſtolus mercedem ſuam iuſtitiæ coronam uocat. Repoſita eſt, inquit, mihi corona iuſtitię, quam reddet mihi Dominus in illa die iuſtus iudex: Et alio loco: Nõ enim

Lib. 4. de benefic. ff. de pœnis. l. abſentẽ.

2. Tim. 4.

Hebr. 6.

enim iniuſtus eſt Deus, ut obliuiſcatur operis ueſtri, & dilectionis, quam oſtendiſtis in nomine eius, quaſi diceret: Si obliuiſceretur operis ueſtri, & dilectionis, iniuſtus eſſet. Itaque ſecundum hanc Apoſtoli ſententiam, dicimus iniuſtum fore Deum, qui peccatum animaduerſione mortis æternæ plectit, niſi & uirtutem honeſta aliqua mercede compenſet, præmioq́. dignetur, & promiſſis ſteterit, quibus non ſemel, ſed ſæpius, ſe bonis iuxta illorum opera mercedem redditurum eſſe pollicitus eſt. hactenus de iuſtitia. Liberalitas autem benignitaſq́. diuina quibus in rebus cernitur? Primùm in eo quod homines, ut bona opera facere ualeant, gratiam eorum infundendo cordibus, adiuuat. Deinde quòd opera noſtra, quamquam illi nihil conferunt, tamē remunerare dignatur. Tertiò, quòd in remuneratione plura quàm meruimus, diuina benignitate cōcedit. Quę ſi nihil amplius, quàm debitum eſſet, daret, non poſſet intelligi. Liberalitas enim è gratiæ fonte manat, iuſtitia meritum reſpicit. Itaque ſi nihil aliud daret, niſi quod debet, ſolam in illo iuſtitiā prædicaremus: iam cùm amplius tribuat, illius iuſtitiam beneficentiamque laudamus. Iuſtitia igitur & gratia, ueritas & miſericordia, remuneratio & libe

ralitas

ralitas in bonorum retributione obuiauerunt ſibi. Sic igitur hæc argumenta tractāda ſunt, ut non aliquam ſcripturæ partem, ſed eam totā ueram eſſe credamus: neq; ſolùm ea loca, quibus iuſtus remunerator Deus dicitur, uerùm etiā ea, quibus Dei benignitas & munificentia prædicatur, recipiamus: id eſt, ut ita Dei gratiā beneficiūq. laudemus, ut bonorum operum atq; meritorum, quēadmodum diuinę literæ faciunt, rationem aliquam habere uideamur. Hoc in te frater pro meo in te amore deſidero. Totam itaq; ſcripturam amplectere, illamq. impietatem, quæ ſcripturæ auctoritate ſcripturā euertit, fuge. Cùm enim clara ſcripturarū illuſtriſq. ſentētia ſit, bonis operibus reddi mercedē; fieri non poteſt, ut illæ Dei gratiæ omnia tribuant. Ita enim Apoſtolus: Ei autē, inquit, *Rom. 4.* qui operatur, nō reputatur merces ſecundū gratiam, ſed ſecundum debitum. Hæc mercedis natura eſt, ut non ad gratiam, ſed ad debitum referēda ſit. Itaque cùm operibus noſtris Deus ſe mercedem redditurum eſſe promittat, in iis aliquid dignitatis, quod mercedem poſtulet, inſit neceſſe eſt.

Hoc loco aliud argumentū, quo operum dignitatē oſtēdamus, occurrit, quod ex ipſa mercedis uarietate ſumit. Apoſtoli ſentētia

eſt: Vnicuique ſecundum ſuũ laborem mercedẽ eſſe reddendã. ex qua intelligi poteſt, qui amplius laborauerit, eũ ampliorẽ mercedẽ recepturum. Inde eſt illud Chriſti: In domo patris mei manſiones multæ ſunt. in quibus intelligitur uarietas præmiorum, unumq. altero eſſe maiorẽ. Quod profectò conſtare non poſſet, ſi in operibus humanis quędam non modò dignitas, ſed etiã uarietas non ineſſet. Vt enim uitiorũ magna diuerſitas eſt, nec iuxta Stoicorum inſaniam, omnia peccata ſunt paria; ita uirtutũ multa diſtãtia eſt: quod certè fieri nullo modo poſſet, ſi omnia ex illo gratiæ Dei fonte tantum manarent. Vides quàm aptè, quàm cãdidè agimus. neque enim aliqua ſcripturæ membra truncamus, cuius auctoritatẽ ſecuti, gratiam Dei cum operum meritis copulamus. Mercedis ac remunerationis uocabula, quæ in ſcripturis paſſim occurrunt, nos quoddã meriti genus aſſerere coẽgerunt, gratiæ nomen ſuſtulit, humanum tumorem ita redegit in ordinem, ut illum ſcopulum fugientes, inter opera noſtra per ſe cõſideratas eorumque mercedem, non æqualitatẽ ac parem dignitatem, ſed congruentiam quandam eſſe fateamur, nõ ut merita noſtra præmij magnitudini ex æqualitate reſpondeãt.

Si

Si hæc ante didiciſſes, mi frater, quàm Theologiæ magiſterium uſurpares, nunquam in tã abſurdi erroris barathrum incidiſſes, nec inter has ſcripturarum, quæ ob tuã opinionem ſenſumq́. peruerſum, quem illis attribuis, tanquam in acie concurrere uidentur, ſymplegadas fluctuares. Ex hac igitur ſupputatione illa ſumma naſcitur, opera noſtra eſſe meritoria, non inania, uana, infructuoſa, quemadmodũ dicitis. Nam cùm Spiritum ſanctũ per Prophetarũ & Apoſtolorum linguas tã multa uerba conſumere uideo, cùm ipſum Dei filium è cælo in terrã ueniſſe cõſidero, ut hominibus uirtutis uiã panderet, eoſq́. ad bona opera non ſolùm uerbis hortaretur, ſed etiam incitaret exemplis, quæ & Dei filius tã ſtudiosè docuit, & ueritatis ſpiritus tam accuratè commendauit, ea uana, infructuoſa, friuola exiſtimare non poſſum, niſi fortè & Chriſti ſermo friuolus & futilis, & Dei ſpiritus uanus eſt. Cùm igitur tam multis uerbis remunerationem ac mercedẽ bonis operibus Deus ſe redditurũ eſſe promittat, nimiũ profectò durus ac ferreus ſim, ſi tantæ auctoritati non cedam, eaq́ue opera quibus Deus iuſtus ac uerus tã pręclara promittit, meritoria eſſe non credã. Gaudete, ait, & exultate, quoniã merces ueſtra copio- *Matth. 5.*

Apoc.18. ſa eſt in cælis. & alibi: Reddã unicuiq; ſecũdum opera eius. Hæc uerba, ſecundũ opera, quandam in operibus humanis manifeſtè ſignificãt qualitatem, quæ in remuneratione, mercede, pręmio attenditur. Hanc nos meritum dicimus, & ſanè, ni fallor, propriè dicimus. Cæterùm ut quod de operum noſtrorũ inutilitate dicis, rectè intelligatur, animaduertendum eſt, mercedẽ operibus deberi, duobus modis cõſiderari poſſe. Primum ex ipſius operis natura, uidelicet cùm is, cuius cauſa fit, ex eo opere uoluptatem aliquã fructumq. capit. Tum enim is operario pro ſuo labore ſatisfacere debet. Vnde ſcriptura ait: Dignus eſt operarius mercede ſua. Nam operarij detinere mercedem, unum eſt ex iis peccatis, quæ ad Deum clamantia poſtulãt ultionem. Quod peccati genus, mea ſententia, tantoperè execratur Deus, ut quàm ardẽter & cupidè pro ipſius obſequio laborantibus ſatisfaciat, à nobis intelligi poſſit. Altero modo merces operario debetur ex pacto atq; cõuento, cùm is, qui opus imperat, ſe ſatisfacturũ eſſe promiſit. Tũ enim, etiãſi ex eo opere nihil ille fructus, nihil utilitatis caperet, quia tamẽ imperauit, ſeq. ſoluturũ eſſe promiſit, fides illi ſeruanda eſt. Quod qui nõ facit, & illum iniuria afficit, & ſe perfidiæ

crimine

crimine adſtringit. Hinc eſt quòd operarius à uiro bono conductus, de cuius fide atque integritate non dubitat, habet pollicenti fidẽ, nec ueretur ne aut ille fallat, aut ipſe ſua mercede priuetur. Ita de Deo & noſtris operibus iudicandũ eſt. Neque enim hæc ſi cũ Dei beneficentia cõferantur, ſuapte natura ſunt meritoria, neq; Deus ex his aliquid fructus aut utilitatis capit, cùm nullius indigeat, nec illi noſtra deuotione, obſequio, ſtudio quicquam accedat. Sed cùm ad illius & præcepta, quibus hæc opera nobis imperauit, & promiſſa reſpicimus, quibus mercedẽ nobis pollicitus eſt, opera dicimus meritoria ratione gratiæ Dei cũ qua fiunt, & ex ipſius pacti cõuentiq. natura, quod Deus nobiſcũ bona fide pactus eſt. Cuius rei tabulas prorſus authẽticas, obſignatas, omninoq. firmiſſimas, cùm in ueteri tũ in nouo inſtrumẽto habemus, in quibus Deus præceptorũ ſuorum obſeruatoribus uitã pollicetur æternã. Hac igitur inter Deũ & nos cõuẽtione trãſacta, opera noſtra modò rectè atq; ordine in ipſa cõuẽtione præſcripto gerantur, promiſſam mercedẽ mereri dicimus; quam ſi ſeruis ſuis atq; operariis denegaret Deus, eſſet iniuſtus. Sine pacto & Dei gratia nihil nobis pro noſtris operibus debebatur, poſt pactũ

ſi nobis promiſſa merces denegaretur, certè afficeremur iniuria, ipſeq. Deus fidem falleret, atque homines mendacio circumuentos, impoſtorũ more deciperet. Sed quoniã impoſſibile eſt mentiri Deum, à quo ueritas omnis ac bonitas, tanquã à fonte, manat & profluit; quicunque illius ſe deuouet obſequio, ſe nõ fruſtra laboraturũ eſſe nõ ſolùm iure confidit, ſed etiam certus eſt. Hinc illa
2. *Tim.* 4. Apoſtoli præclara fiducia: Bonũ, inquit, certamen certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui, de reliquo, repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quã reddet mihi Dñs in illa die iuſtus iudex. Ita ſpes illa præclara, qua Paulus ſibi iuſtitię coronã meritò pollicebatur, Dei æquitate ſubnixa, inter uiolentos ſæculi fluctus atq; naufragia, ſtabat immobilis. O ſingularis & admirãda fiducia! quę de bonorũ operũ cõſcientia & Dei æquitate nata, uirtutibus adoleſcit, & in animis piorũ hominũ, Deiq. ſeruorũ, altiſſimis radicibus nixa ſubſiſtit. Sciebat enim Apoſtolus Deũ iudicẽ, ſi certantibus promiſſum uictoriæ pręmium minimè reddidiſſet, iuſtũ non eſſe dicendũ. Quod ut magis perſpicuum fiat, Dauidis & Saulis regis profertur exemplum. Ille cùm eſſet paſtor ouium, uidebatur indignus, & erat, ſi eius ſtatum ſpectamus, qui regis filiæ matri-

matrimonio iungeretur. Sed cùm rex filiæ ſuæ nuptias pollicitus eſſet ei, qui cum Goliath gigante pugnaſſet, eumq. uiciſſet, parta iam de gigãte uictoria, filiã ſuã Dauidi ſine iniuria negare non poterat. Quod ſi rex feciſſet, ſine dubio fuiſſet iniuſtus. filiam ergo regis merebatur ille, non ſtatus ſui, aut uictoriæ genere, atq; natura, ſed ex pacto atq; cõuẽto, quo rex filiæ ſuæ nuptias uictoriæ prẹmiũ fore promiſerat. Hinc quid per ſe conſiderata, & quid cum gratia Dei opera nóſtra ualeãt, aut nõ ualeãt, quantũ aut mereãtur, aut nõ, facilè poteſt intelligi. Neq; enim ea Deo quicquã aut merentur aut conferunt, ſed nobis tantùm proſunt. Si ergo inutilia cuiquam uidentur, certè Deo inutilia ſunt. Quanquã ſcripturæ locũ, quo bona opera inutilia uel infructuoſa dicantur, nullũ adhuc uidi. Illud quidem conſtat, Chriſtum monuiſſe diſcipulos, ut Phariſaicũ illud ſupercilium, quo ſuperbũ & arrogans hominum genus ſeſe cunctis anteponebat, ac melius cæteris eſſe iactabat, tanquam peſtem aliquam atque perniciem aſpernarentur ac fugerent, animiq. moderationi atque humilitati ita ſtuderent, ut ſe ſeruos inutiles eſſe ſentirent. Illorum autẽ opera inutilia, uana, infructuoſa eſſe non dixit. Sunt illi quidem

inutiles ſerui, propterea quòd ex illorũ obſequio nihil domino fructus, nihil utilitatis accedit: ſed eorũ opera & obſequia illis inutilia eſſe non dicit, pro quibus ampliſſimã iis in cælo mercedem præmiũq. promittit. Ita ſi Dominum, cuius ſerui ſumus, attendimus, profectò ſerui inutiles ſumus. Neque enim illũ obſequio noſtro ditiorẽ aut fortunatiorẽ reddere poſſumus. Sed ſi nos ipſos reſpicimus, certè utiliſſimi negotiatores ſumus, ac theſauri Dominici diuites fortunatiq. cuſtodes, qui præceptorũ Dei obſeruãtia uitã nobis ac regnũ cõparamus æternũ,
Matt. 19. iuxta illam Chriſti ſententiã: Si uis ad uitã ingredi, ſerua mandata. Quod qui faciũt, iis Dominus immortalitatẽ, iis regnum cælorum, iis æternæ beatitudinis præmiũ diuina uoce promittit. Hinc Apoſtolus quoq; Ti-
1. Tim. 6. motheo docendi rationem formamq. præſcribens, Diuitibus, inquit, huius ſæculi præcipe, nõ ſublimè ſapere μὴ ὑψηλοφρονεῖν, neq; ſperare in incerto diuitiarũ, ſed in Deo uiuo, bene agere, diuites fieri in bonis operibus, theſaurizare ſibi fundamentũ bonũ, ut apprehendant uerã uitã. Hæc opera, quæ tantorũ bonorum cumulus ſequitur, tu inutilia dices? Hæc inquã, opera, quibus, ut
2. Pet. 1. Apoſtolus Petrus ait, certã noſtrã uocationem

nem & electionẽ facimus, tu tanquã infructuoſa damnabis? Cùm igitur ab ipſo Deo ad bonorum operum ſtudiũ tam crebris, tã magnis pollicitationum ſtimulis incitemur, ut eo ſtudio regnum æternũ, cęlum, immortalitatis præmiũ comparemus, an non rectè dicimus, nos ea omnia bona uirtutũ ac bonorũ operũ ſtudio nobis comparare? Planè ad eundẽ modũ, quo mercenarius aliquis ad certũ opus faciundum interpoſita pactione conductus: hic poſtquam opus illud abſoluit, nonne ſe ſuo labore atque ſudore pactã mercedẽ ſibi cõparaſſe iure dicit? Ita quoniam noſtris laboribus atque ſudoribus certam mercedem Deus ipſe promiſit, cur nos Deo ſeruientes regnũ cælorũ nobis comparare, imò lucrari, non liceat dicere, quòd nobis laborãtibus pręmiũ, operiſq. noſtri mercedem ipſe propoſuit? Ne illud quidem hic anxiè mihi quærendũ puto, num in hoc pacto atque conuento, ultra iuſti pretij dimidiam partẽ Deus fortè fallatur. neq; enim deſipiebat ille cùm pactus eſt; cõuẽtio quidem è re mea eſt, ſed fidẽ ille non fallet. Cuius pacti ui atq; ratione, dico me regnũ cælorũ, modo præſcriptas leges obſeruẽ, mihi eſſe comparaturum. Sic igitur ſpem meã atque fiduciam, quæ non meis tantum operibus,

bus,ſed Dei pollicitationibus nititur,in ipſæ ueritate defixi. Impoſſibile eſt mentiri Deũ. Qui benigno atq; liberali domino ſeruiũt, plura lucrãtur, quàm ij qui auaro ac tenaci miniſtrãt. Et qui ei domino ſeruit, cuius nõ ſolùm opes,uerùm etiam liberalitas infinita eſt,nõne ſe infinita ſibi comparare iure gloriari poteſt? Itaq; nõ eſt quod uereamur,ne talis dominus in tranſigenda conuentione deceptus ſit. Ille enim ſatis ſapiens eſt, nec quid facto opus ſit ignorat. Ego uerò illud pactũ & conuentũ eſſe inter Deum & nos, meritò gaudeo. Si uereris,ne Deũ fortè decipias, ſi adeò religioſus es, ut ob conſciẽtiæ ſcrupulum tanquam cum prodigo uel minori, qui quid agatur,ignoret,negotium tranſigendum ſit, huic pacto ſtare non audeas, integrum tibi eſt deſiſtere, Deus neminem cogit.Ego uerò tam religioſus ac ſanctulus eſſe nolo, ut Dei uerbis ſtare non audeam.Si ille in hoc negotio fortè prodigus fuit, ut quãti opera noſtra eſſent, æſtimanda neſciret,ipſe uiderit. An illum homines, ut cum illis ita paciſceretur, coëgerunt? Ego, inquam, illius uerbis atq; promiſſis ita ſtare cõſtitui,ut eũ etiã appellare non dubitẽ.O me felicem, cui quãquam eſt adeò curta ſupellex,tamen inter ipſos pannos & illuuiem aliquid, quo

rem pretioſiſſimam mercari poſſem, inueni: Fortunatum te diceres atq; felicem, ſi uno denario centũ aureos lucratus eſſes,& quãquam inter unum obolum & centũ aureos magna diſtantia eſt, tamen centum illos aureos uno obolo te lucratũ eſſe audacter gloriareris: ita tametſi inter noſtri laboris meritum ſecundum operis naturam conſideratũ, & cæleſtis regni præmiũ plurimùm interſit, propterea tamẽ, quòd tam ſapiẽs Dominus pro aquæ frigidæ calice tantũ præmium tribuit, eius liberalitatẽ ac munificentiam non aſpernabor, rẽq. adeò pretioſam tã exiguo pretio cõparans, Deo Opt. Max. tam benigno, liberali, munifico, imò magis prodigo, quàm fortè uelles, immortales gratias agã.

Sed ut ad propoſitũ reuertamur, hoc emolumentum atq; lucrum, quod in Dei obſequio facimus, mercedẽ idcirco dicimus, qd' id in ſcripturis eodẽ modo dicitur, quibus ut credamus Deũ inquirentibus ſe remuneratorem eſſe, præcipitur. At uerò Paulus ait: Non ſunt condignę paſſiones huius temporis ad futuram gloriam. Rectè. Nihil melius dici potuit. nam cũ Domino tã bono nobis res eſt, ut nos de exiguo ditari uelit. Parum eſt quicquid ad eius obſequiũ attulimus, ſed nos diuina beneficẽtia cęleſti liberalitate locupletat.

Heb. 11.
Rom. 8.

cupletat. Hæc eſt noſtra felicitas, hæc noſtra uera gloria eſt. Quærenti igitur tibi qui fieri poſſit, ut cùm hæc ita ſint, noſtra opera meritoria dici debeãt, uno uerbo reſpõdeo: quia Deus ita uoluit atque decreuit; quia ei qui opera bona feciſſet, tanta promiſſa ſunt pręmia. Inde eſt illud Apoſtoli: Vnuſquiſque propriam mercedẽ accipiet ſecundum ſuum laborem. Inde illud ipſius Chriſti: Gaudete & exultate, quoniam merces ueſtra copioſa eſt in cælis. Nos igitur utrumque ſcripturæ locũ obuiis manibus amplectimur, tam eum quo opera noſtra tãto futuræ glorię pręmio pronunciãtur indigna, quàm hũc, quo ipſis operibus mercedem deberi oſtenditur. Cur ex his duobus ſcripturæ locis alterum recipis, alterum reiicis? utrunque una atq; eadẽ ſcripturarum auctoritas ſanxit. Itaque ſi fidem noſtram hoc modo exponas, nihil nec in ea abſurdum aut ineptum, nec in Dei uerbis, quod ſecũ pugnare uideatur, inuenies. Nos igitur, abiecto ſuperbiæ ſupercilio, animum noſtrum moderatione atque humilitate deprimimus, cùm opera noſtra ex ſua natura promiſſæ gloriæ magnitudinẽ ęquare non poſſe perſpicimus, in eoque Dei noſtri ſummum beneficium ac munificentiſſimam gratiam recognoſcimus; quod quanquam

1. Cor. 3. *Luc. 6.* *Matth. 5.* *Rom. 8.*

quam à nobis, quòd illi proſit, nihil fiat, obedientiæ tamen noſtræ per inhabitantem ſpiritum eius in nobis tantam mercedem præmiumq. conſtituit. Ita cùm quanta præmia Deus uirtuti propoſuit, nobis in mentẽ uenit, tum ad ſtudium uirtutis incendimur, tũ in Deo gloriamur, nobiſque ipſis piè gratulamur, quòd ſummus ille Deus tanta nos felicitate dignatus eſt, ut ad nominis ſui cognitionẽ adductos, in familia ſua & inter ſeruorũ ſuorũ greges numeret. Quod noſtrã ſpẽ atq; fiduciam nutriens, legis diuinæ iugum nobis non modò leuiſſimum, ſed etiam ſuauiſſimum reddit. Vides mi frater quàm honeſta, quàm ſancta, quàm & rationi & ſcripturarum auctoritati conſentanea ſit atque conueniens fides noſtra? Quæ cùm ita ſint, quanta eſt tua inſcitia? quanta animi tui cæcitas, cùm ita in tuis literis ſcribis, ut nos Eccleſiamque catholicam feſtiuè ac lepidè irridere uidearis, propterea quòd noſtris operibus ac meritis regnũ cęlorũ conſequi poſſe nos dicimus? O mentẽ Cimmeriis, vt aiunt, tenebris atriorem! Nimirum imperitiæ tuæ teſtem totum orbem habere uoluiſti. Nam quæ ſit fidei noſtræ ratio, quam tam temerè improuideque damnaſti, te nunquam intellexiſſe perſpicuum eſt. Nec minori temeri-

tate matrem eccleſiam & noſtram, & quondam etiam tuam, in cuius placidiſſimo ſinu utinam perſeueraſſes, & ad quam uelut ex multa tempeſtate in portum te aliquando errore damnato, rediturũ eſſe confido. Non minore, inquam, temeritate, amentia, furore matrem eccleſiam accuſas, quòd contra Dei uerbum opera noſtra meritoria eſſe doceat atq; defendat: imperitè ſanè, ſi iudiciũ ſequamur tuum. Sed plus eſt (mihi crede) ſapientiæ, plus eruditionis atq; doctrinæ in minimo Eccleſiæ noſtræ digitulo, quàm in toto ſynagogæ ueſtræ corpore. Eſt enim ſapientia in ſenibus, temeritas autem & inſcitia laſciuientis ætatis. Noſtra ergo mater eccleſia eum antiquitatis & experientiæ conſcendit gradum, ut ſpiritu Dei plena nihil quod à quoquam diſcere poſſit aut debeat, reliquum eſſe uideatur. Tam multis enim ab hæreticis aliisq́. ſuis hoſtibus tamq́ue crebris quęſtionum fluctibus ab ineunte ætate iactata, ita inter ſæculi tempeſtates atque naufragia ſemper emerſit, ut eorum omnium, qui illam erroris atque ignorantiæ damnare conati ſunt, inſcitiam, arrogantiam, uanitatem, impudẽtiam, furorem toti orbi tanquam in ſpeculo ſpectandum exhibeat. Itaque cùm hinc mecum reputo, quàm audacter & teme

rè

rè in matrem eccleſiam làtrans, nō dubitaſti dicere, quicquid illa de libero uoluntatis arbitrio, & operū meritis docet, cū uerbo Dei & ſcripturarū auctoritate pugnare, inde tot & teſtimoniorum nube celatum atque obrutum, & rationum, quas ex ſcripturarū fontibus hauſimus, telis confoſſum profligatūq. te uideo, utrum iis, quórum dolis, fraude, perfidia in hanc errorum uoraginem adductus, iter ſalutis ac uitæ temerè reliquiſti, ſtomachari, an ſæculi noſtri calamitatem toto lachrymarum fonte plangendam deplorare debeam, diu multumq̇. dubitaui. fraternus enim amor me tibi ſuccenſere non patitur, ſed potius me ad miſericordiā impellit, dum mecum reputans, in quantū errorum barathrum incideris, infelicitatem tuam dies noctesq̇. deploro. Quare mi frater, ſi quis eſt in te mutuæ beneuolentiæ ſenſus, ſi quod pietatis ueſtigium, ſi nobis & ſcripturarum auctoritas, & ſanctorum patrum conſentit antiquitas, ſi hinc fides, ratio, æquitas, bona opera, totusq̇. uirtutum chorus nobiſcum in iiſdem caſtris militat, inde perfidia, furor, iniquitas, uitiorum denique omnium una colluuies, uirtutem ac ueram religionem oppugnat, in uiam atq; in matris eccleſiæ gremiū redi, ſegrega te ab illis lupis, ſalutemq̇.

tuam

tuam ueri paſtoris tui curæ conſilioque committe, ut unà nobiſcum in eodem fidei uirtutisq́. domicilio clariſſimum ueritatis lumen agnoſcas, diſcuſsisq́. illis ignorãtię tenebris, mente integra, religione ſincera, pietate concordi, uoce pura colamus Deum & patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui eſt benedictus in ſæcula. Amén.

Sed ut ad propoſitum reuertamur, quàm facilè hæc controuerſia dirimi poterat, ſi ueſtri non aliquam ſcripturæ partem reſpexiſſent, ſed totam ſcripturam amplexi eſſent, nimirum ut Apoſtolo crederent non ſolùm, cùm is opera noſtra futuræ gloriæ præmio pronunciaret indigna, uerùm etiam cùm vnumquemque mercedem ſecundum ſuum laborem recepturũ aſſeueraret. Nos utrũq. eadem credulitate complectimur. Itaq; propter illam Apoſtoli ſententiam, negamus hominis opus ex ſuo genere atque natura magnitudini præmij æquari, eoque dignũ eſſe poſſe. Propter hanc bonum opus meritorium credimus, non ſuapte natura, ſed propter Dei gratiam cooperantem, & propter illud pactum atque conuentum, de quo ſuperiùs diximus, quod ſi Deus uiolaret atq; reſcinderet, iniquus uideretur, ac mendax. Quod cùm fieri nullo modo poſſit, Deique

promiſſis

promiſſis nihil ſit firmius, nihil uerius; nos iuxta ſcripturæ regulam atque ſententiam utrumque uerum eſſe profitentes, unum alteri negamus eſſe cõtrarium. Nam cùm Dei uerbum utrumque ponat atque confirmet, quid erat facilius, quàm iſti cõtrouerſiæ ſine ulla contentione finem imponere, ſi ueſtri totam ſcripturam dignarẽtur amplecti? Sed quoniam iis aliud propoſitum erat, nimirũ ut bona opera nõ meritoria, ſed inutilia, uana, infructuoſa eſſe orbi perſuaderent; idq. uel maximè ad conſiliorum ſuorum executionem neceſſarium eſſe acuti homines uidebant, iis ſcripturæ locis atq; ſententiis, quæ bonis operibus mercedem ac præmium aſſignant, non modò credere noluerũt, uerùm etiam bellum indicendum putarunt. Hinc igitur illæ lachrymæ, hinc tanquam Scyllei canes in abſtinentiam atq; ieiunia; hinc in caſtitatem, pudicitiã, ſanctitatem; deniq; in omnem uirtutum chorum latrant. Neque enim iis expediebat laudare uirtutem, aut bonis operibus aliquod præmium aſſignare; quod ſi facerent, intelligebant homines callidi, hac ratione ſua cõſilia retardari, ſuumq́ue curſum quaſi contrariis uentis impediri. Fecerunt igitur quod è re ſua uidebatur eſſe, omneſque neruos intenderunt, ut

orbi ſe excuſatione digniſſimos eſſe perſuaderent, cùm illam antiquorū patrum diſciplinæ ſeueritatē, uirtutumq. ueſtigia minimè ſequerentur. Quod ſi faciundū eſſe confiterentur, & bonorum operū promiſſæq. mercedis ac præmii aliquam habendam eſſe rationem, facilè intelligebant homines acutiſſimi, excuſationis ſuæ molem ſtare non poſſe. Cùm igitur hoc animo ad diuinarum literarum lectionem acceſſiſſent, eorum locorum, quibus ad deprimendā hypocriſim, illudque Phariſaicum ſupercilium deiiciendum, ſcriptura utitur, grandem aceruum ita coëgerunt, ut eas omnes ſcripturæ ſententias, quibus ampliſſimum immortalitatis regniq. cæleſtis præmiū bonis operibus pollicetur Deus, ſtudioſè tanquam ſyrtes ac ſcopulos præterirent. Acutè ſanè. Quis enim adeò uirtutis inimicus? qs adeò Epicureus eſt, ut cùm audiat Deū bonis operibus tāta prēmia pollicentē, ipſa opera uana & inutilia dixerit? Quis infructuoſa exiſtimet, quibus remunerationis æternæ merces diuina
1.Cor. 2. uoce promittitur? Quod oculus non uidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcen-
Iſaiæ 64. dit, id præparauit Deus iis, qui diligunt illū; ait Apoſtolus; qui in tertiū cælū raptus, Dei arcana cognouit. Tantū eſt igitur illud bo-

num,

num,ut ei addi nihil poſſit. I nunc frater, & talia opera, quibus Deus rerũ ſapientiſſimus æſtimator tantã mercedẽ præmiumq. promittit, infructuoſa crede. An inutile eſt, qđ infinitam utilitatẽ adfert? Quid mirabilius cogitari poteſt, quàm nullũ opus eſſe adeò exiguum ac tenue, quod ſua mercede priuetur? Mentior niſi mihi Chriſti uerba con ſentiunt: Si quis dederit calicem aquæ frigidæ tantùm in nomine diſcipuli, amẽ dico uobis, non perdet mercedem ſuam.

Sed ut ad propoſitum reuertamur, uides frater quàm apertè, quàm cãdidè, quàm ſim pliciter hic agamus, cùm Dei uerbo ſimpliciter credimus? Ex quo intelligi põt, quod antè dicebam, omnem hãc de humanis operibus cõtrouerſiã facilè dirimi poſſe, ſi ueſtri, qui de Dei uerbo tãtoperè gloriãtur, ei fidẽ adhiberent. Sed ab his ut omnia Dei uerba recipiant iure poſtulo. Nam ſi uera ſunt ea, quibus operũ ac præmiorũ negatur æqualitas, cur alia q̃bus uirtuti ac bono operi merces æterna promittitur, tanquam falſa repudiantur? Vis me frater tot Dei uerba mẽdacij uanitatiſq. damnare? Si hoc impiũ eſt ac ſacrilegũ, patere me opera noſtra meritoria exiſtimare, ſine me credere magnã iis à Deo propoſitã eſſe mercedem, magnum præmiũ,

magnum theſaurum in cælis. Hoc Dei uerbum eſt. Ergo ſine exceptione credendum eſt. Hoc Romana tradit eccleſia. Rectè. Id enim ſuis filiis tradit, quod à ſponſo dudũ

Matt. 11. accepit: Regnũ, inquit, cælorũ uim patitur, & uiolenti rapiũt illud. O felix rapina! Sed quomodo regnum cæleſte diripitur? Certè cùm homines ſibi ipſis ad bona opera facienda uim adferunt, illiuſq. præclariſſimi ducis Ioannis Baptiſtæ, cuius ætate cælum diripi cœpit, uictricia ſigna ſecuti, per eadẽ uirtutis ueſtigia gradiũtur. Chriſtus igitur, vt quibus machinis cælum expugnetur oſtendat, nos tribus hominum generibus cõparat, nimirũ militibus, ad alicuius opulentæ ciuitatis expugnationẽ iter ingreſſis; negotiatori quærenti bonas margaritas, ut eas ſibi cõparet: uinitori à patrefamilias ad uineæ cultũ mer

1. *Cor.* 9. cede cõducto. De primo ait Paulus: Omnis qui in agone cõtendit, ab omnibus ſe abſtinet. illi quidem, ut corruptibilem coronã accipiant, nos autem incorruptã. Ego ergo ſic curro, nõ quaſi in incertũ; ſic pugno, nõ quaſi aerem uerberans. quaſi diceret: Non ignoro, quæ ſit laboris mei cauſa: magnum prẽmiũ expecto, de futura mercede nõ dubito. Reliquẽ duæ ſimilitudines in Euangelio exponũtur pluribus uerbis, quibus emolu-

mẽti, quod in huius uitæ negotiatione facere poſſumus, ut nobis cæleſtis uitæ theſaurũ cõparemus, ratio demonſtratur. Illud autẽ uehemẽter miror, te Chriſti uerbis, quibus præcipit ut theſaurum recondamus in cęlis, nõ moueri, ut opera noſtra meritoria, & lucratiua eſſe arbitreris. Quid enim ſit theſaurũ recondere in cælo, Paulus oſtendit, cùm Timotheo ſcribit his uerbis: Diuitibus huius ſæculi pręcipe, ut in bonis operibus diuites fiãt, ſibiq́. theſaurizẽt fundamẽtũ bonũ, ut apprehendant uerã uitã. Sic igitur Apoſtolus bona opera uocat ueras diuitias, bonũq́. hominis theſaurũ. Nec iniuria. Quid ni ueræ diuitiæ theſaurusq́. pretioſus illa dicantur, quibus ueræ optimæq́. uitæ præmiũ comparatur? Nihil eſt igitur bonis operibus, nihil uirtute lucroſius. Niſi fortè Deum ipſum ad bonorũ operũ ſtudia nos adhortantẽ, uanũ eſſe arbitraris. Chriſtus admonet, ut theſaurũ noſtrũ recondamus in cælis. & aliò loco: Vẽdite, ait, quæ poſſidetis, & facite uobis ſacculos qui nõ ueteraſcũt, theſaurũ non deficientẽ in cælis. Quondam diues adoleſcens modum, quo ad ſalutis æternæ portũ perueniret, quærebat à Domino. Cui cùm ille reſpondiſſet, Si uis ad uitã ingredi ſerua mandata; nonne cõſequenter intulit:

Matt. 16. *1. Tim. 6.* *Matth. 6.* *Luc. 11.* *Matt. 19.* *Marc. 10.* *Luc. 18.*

Vade, quęcunque habes, uēde, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cælo? Vnde
Tobię 4. Tobias filium ſuum ad bonorum operum curſum exhortās, inter illa pręcepta cęleſtia, ad eleemoſynæ ſtudium diligēter admonet, dicens: Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: ſi exiguum, etiam exiguum libenter impartiri ſtude. Præmium enim bonum tibi theſaurizas in die neceſſitatis. Tot Dei uerba (mihi crede frater) uana eſſe nō poſſunt. Bona igitur opera, utilia, fructuoſa, lucroſa eſſe crede, noſq. dū ea exercemus, ſummas diuitias grandemque theſaurum in cælis recondere exiſtima. Neque enim mentitur ueritas, cùm hęc diuina uoce pronunciat. Ergo mater eccleſia, cū bona opera meritoria eſſe tradit, nihil, qđ Dei uerbo repugnet, docet. Non eſt igitur ꝙ ob unam aut alterā abs te lectā ſcripturæ ſentētiam, omnē ſcripturarū ſeriem tibi perſpectam & cognitā exiſtimes. Nōne uides hæc omnia Dei uerba, quæ iam in mediū produximus, tibi incognita fuiſſe? Ex quo tuā ignorantiā, & inſcitiā intelligere deberes, ut tua imbecillitate imperitiaq. perſpecta, de theologicis cōtrouerſiis tāquā cæcus de coloribus iudicare nō audeas. Cū in ſcripturis bonorū operum tam crebra fiat mentio, nihil erat quod memoriæ commendares,

dares, niſi illud, nos ſeruos inutiles eſſe? certè inutiles ſumus: ſed Deo, cui nullã utilitatẽ adferimus, inutiles; nobis autẽ, ſi bonorũ operum, pro quibus tantam mercedẽ, tanta præmia nobis redditurus eſt Deus, theſauro ditemur, profectò utiliſſimi ſumus. Hæc igitur ex ſcripturarum fontibus hauſta, nobis tradit eccleſia, quæ medium inter duo extrema, regiumq́. iter carpens, hinc arrogantiæ ſcopulos inanisq́. gloriæ prærupta declinat, nec Deo ſua opera tãquam ei fructuoſa exprobrat: (quis enim aliquid ſe Deo præſtitiſſe glorietur, cùm ad ſe totũ induſtriæ ſuæ fructũ redũdare intelligat?) inde negligentiæ deſidięq́. uoraginem fugiens, ſumma induſtrię ſuæ prẹmia propoſita eſſe cognoſcit. Medium tenuere beati. Virtus denique cõſiſtit in medio. Itaque ſapientiſſima mater Eccleſia, errorum extrema ſemper & ubiq; declinat, ac uelut inter Scyllam & Charybdim tutiſſimum conficit curſum. Dextrum Scylla latus, læuũ implacata Charybdis obſidet, & utrumq; fidei naufragium comminatur. Vt enim à ueritatis curſu aberrat, qui humana opera ſuapte natura, & ex ſe aut meritoria, cęleſtiſq́. gloriæ præmio digna, & paria, aut Deo utilia eſſe arbitratur; ita qui hęc neq; meritoria ullo modo, neq; aliqua mer-

cede penſanda exiſtimat, in nõ diſſimili erro re uerſatur. Qui autem hæc ex gratia Dei & pacto atq; conuẽto Dei promiſſione firmato, meritoria eſſe dicit, is à recto ueritatis itinere nõ aberrat. Cùm igitur illius aquæ, uidelicet Spiritus ſancti gratię, ex cordibus noſtris in uitã ſalientis æternã, efficaciã uimq. cõſidero, ſi opera tali aqua non modò lota, ſed etiam irrigata, & uiuificata, cæleſtis uitæ præmio ex ęqualitate digna dixi, me lapſum eſſe nõ arbitror. Nã quod operibus ex eorũ natura deeſt, id gratiæ Dei uis ſanctiq. Spiritus efficacia ſupplet. Hæc aliquanto commodius dicuntur, ac uerius, quàm id quod iſta noua philoſophia excogitauit, nimirum humana opera, etiã ſi à ſolo Spiritu ſancto producãtur ac fiãt, imperfecta tamen eſſe, atque ut menſtruatæ pannus immũda. Itane uerò ipſius Spiritus ſancti opera nõ ſolùm imperfecta, ſed etiã immunda dicetis? Quid hoc aliud eſt, quàm in Spiritũ ſanctũ iactare blaſphemiã; & tã impiũ, ut ægerrimè remittatur, crimen admittere? Quid enim aliud de Satanæ operibus dici poterat, niſi quòd imperfecta, turpia, immũda ſunt? Ex quo intelligi poteſt, à quo Spiritu ad eiuſmodi blaſphemias impellamini. Sed ad te redeo frater. Vide quęſo quid dicas, fateris eſſe opera

Ioan. 4.

Spiritus ſancti,& tamẽ hæc ipſa imperfecta, turpia, immunda eſſe pronuncias. Sentiſne ſecũ pugnare orationẽ tuã? extremoq. ſententiæ tuæ eiuſdẽ principiũ iugulari? Quanto ſapientius diuinas literas explicat mater Eccleſia? Quas omnes non ſolum diligẽter euoluit,ſed etiã amplectitur & recipit.Cùm igitur in iis duo,quę diuerſa uidẽtur,occurrunt, non alterum recipit, alterum reiicit, ſed utrumque tãquam uerum amplectitur. Duo in diuinis literis de operibus noſtris memorię prodita ſunt;hic ęternæ gloriæ præmio aſſerũtur imparia,inæqualia,indigna: illic merces iis ampliſſima præmiũq. promittitur. Et quoniã mater Eccleſia uerã eſſe credit utrãque ſententiã, animum tuum, ut uideo, vehementer offendit, Hinc ille lachrymæ, imò illa conuicia, quibus ei tanquam Scylleus canis oblatras; eamq́ue quaſi Dei uerbo ſcripturæq. auctoritati repugnet, impudẽter accuſas. Sed quis nõ uideat falſam eſſe ſententiã tuã? Quis nõ intelligat criminationis tuæ uitium? Quę (malum) eſt iſta perfidia, toti ſcripturę ſacrę fidem adhibere nolle? Quam ſi totã amplecteris, eccleſię fidẽ ei optimè conuenire fatearis neceſſe eſt. Sed quoniam hoc ſuperius planum feci, nõ ero hic lõgior. Illud tamen te hortor,& mo-

neo frater, ut hoc loco promiſſam fidē ſerues,& quoniā fidē noſtram de uoluntatis arbitrio libero, & de operū meritis cū diuinarū ſcripturarū auctoritate cōgruere, nec illā Lydium uerbi Dei lapidē pertimeſcere intelligis,à te peto,ut in noſtræ eccleſiæ caſtra redeas, nec eam quæ ita cū ſcripturæ auctoritate conſentit,ſequi dubites. Hæc enim ſi meminiſti,tua uerba ſunt. Nam ſi Romana eccleſia cum Dei uerbo ſcripturæq. diuinæ ueritate congrueret,conformataq. eſſet, nō eſt dubium quin eā ſequi oporteret. Quæ cùm ita ſint, ſerua pactū atq; promiſſum, & hęc noua Stoicorum iſtorum paradoxa noli tueri. Noua hæc meritò dixerim,non quòd nūc primùm nata ſint,ſed quòd ab antiquis illis eccleſiæ magiſtris atq; doctoribus,multis ab hinc ſęculis iugulata,nūc demū à Luthero renouata ſunt,atq; ab īferis excitata. Atque utinā tibi eccleſiæ cognita eſſet antiquitas. Intelligeres profectò qui fuiſſent ab initio pernicioſiſſimi aduerſus liberū uoluntatis arbitriū erroris auctores,quique tā impium dogma defenderint. Neque enim funeſtam hanc opinionem,imò peſtem,hominum uirtute doctrinaq. præſtantiū peperit induſtria,ſed errorem de Stoicorum lacunis hauſtum, ſemper hæreticorum propugnauit

uit impietas. Poſt Soicorum uanitatem primus Bardeſanes è Valentini ſchola tanquã ex equo Troiano profectus, impium hoc dogma in eccleſiam inuehere conatus eſt. Nam ut liberum arbitrium tolleret, ad reliquos Valentini errores illud adiecit, ut fatum defenderet. Exinde Manichæi liberum arbitrium funditùs ſuſtulerunt, duo principia ponentes, quorum alterum bonorũ, alterũ malorũ operum cauſam eſſe dicebant. Hinc Priſcillianiſtæ in Hiſpania eandem inſaniã inſtaurarunt. Quam inde Petrus Abelardus tandẽ in Galliã deportauit. Hunc ſecuti Albigenſes, Ioannem VViclef habuerunt ſuę impietatis hæredẽ. Quã extinctã & ſepultã, tãdem Lutherus noſtra memoria ab inferis excitauit. Sic à Stoicorum fontibus error exortus, per contritos hæreticorũ lacus hactenus fluxit. Ex quo intelligi poteſt, quales opinionis ueſtræ habeatis auctores. Meritò igitur Auguſtinus: Liberũ, inquit, arbitriũ quiſquis negauerit, Catholicus non eſt. Sed fortè ſolus Auguſtinus hoc ſenſit, reliqui uerò eccleſiæ magiſtri, atq; doctores nullam meriti faciunt mẽtionem. Imò uerò ſancti Patres non modò Latini, uerùm etiam Greci tam frequenter hoc nomine utuntur, ut infinitum eſſet omnes omnium proferre ſenten-

Bardeſanes, anno Domini 220.

Manichæi, anno 270

Priſcillian. anno 406.

Anno Domini 1130.

ſententias. Quod ſi mihi faciundũ eſſet, dies me profectò citiùs quàm oratio deficeret. Itaq; ne ſim longior, unius aut alterius ero recitatione cõtentus. Hieronymus igitur in Dialogo aduerſus Pelagianos: Sancti ſecundum menſuram, inquit, ſuam & modũ, iuſti ſunt, & appellãtur, ut Paulus, qui plus habet meritorum, quia plus omnibus laborauit. Et eodem in loco, cùm quęſiſſet cur in cęlo plures mãſiones? Quia ſanctorum, inquit, diuer-

In Ioannẽ trac.67. ſa ſunt merita. Quid Auguſtinus? nonne perſpicuè nobiſcũ facit? Nullus, inquit, alienabitur ab illa domo, ubi manſionẽ pro ſuo quiſque habiturus eſt merito. Et paulò infe-

Serm.162 riùs: Multæ manſiones diuerſas meritorũ in una uita æterna ſignificant dignitates. Item alio loco: Deus pro merito fidei & bonorũ operũ dabit fidelibus ſuis regnum cęlorum. Et lib.14. de Trinitate, cap.15. Quid faciet mentem aliquam beatam, niſi meritũ ſuum, & præmium Dei? Item Cyprianus: Iuſtitia, inquit, opus eſt, ut promereri quis poſſit Deum iudicẽ: præceptis eius & monitis obtemperandum eſt, ut accipiãt merita noſtra

Cap.:61 mercedẽ. Item Ambroſius in Lucam: Ergo, inquit, qđ in merito fuit copioſius, hoc erit in præmio redundantius. Diuus Hilarius in Pſal.92. Cur ſancti ſua opera tam paruo æſtiment,

ment, ac pro nihilo putent, luculenter oſten dens: Habet hoc, inquit, uerecunda ipſa ſanctorũ iuſtitia, ut quicquid ſibi de beatitudine ſperat, id pro magnificentia Dei potius (quia dignum eſt Deo & æterna & bona retribuere) quàm pro merito ſuo poſtulet; nec tamẽ prẹferens honorem miſericordię Dei, merendi quoque per ſe excludit officium. Aequũ.n. eſt uitã retribui ſtipẽdiis ſanctitatis. Et paulo pòſt: Ex meritorum diuerſitate ait, uel in pœnã uel in miſericordiã iudiciũ Dei tẽperari. Hactenus Hilarius; cuius uerba memoriæ mandare operępretiũ eſt, ut quaſdam ſcripturę ueterumq. ſentẽtias rectè intelligamus, modeſtiamq. ſanctorumac uerecundiam, qua ita ſalutem ſuam Dei munificentię potius, quàm meritis ſuis tribuunt, ut tamen ab iis merendi nõ excludatur officiũ, cum uirtute coniunctã eſſe uideamus. Quæ cùm ita ſint, habes frater omnia, quę ad fidei noſtrę & ſanctitatem demonſtrãdam, & ueritatem probandam requiruntur. Nam cùm hinc ſcripturarum auctoritas, inde non ſolùm rationis momenta, uerùm etiã patrũ teſtimonia noſtram de operibus ſententiam confirment atque corroborent, in ſuſceptæ ueritatis tutiſſimo portu libenter acquieſcimus. Cuius clariſſimũ lumen omnes argu-

mento-

mentorum tuorũ tenebras, quibus eam oppugnare conatus es, & ſi quid præterea in epiſtola tua contra illam producis in mediũ, ita refellit, ut quicquid ei à uobis opponitur, ſua ſponte uaneſcat ac defluat. Tanta efficacia ueritatis, tanta uis eſt. Nam quod
Iſaiæ 64. ex Eſaia commemoras; Quaſi pannus menſtruatæ uniuerſæ iuſtitiæ noſtræ; de ſanctorum Deoq. placentium hominum operibus intelligi non poteſt, niſi fortè idem opus & cor hominis mundet atque abluat, & tamen immundum ſit ac ſordidum. An immundũ eſt, quod purum, ſanctum, uiuum meritò dicitur? an immundum eſt, quod hominẽ ita ornat atque condecorat, ut nuptiali ueſte fulgentem, cæleſti conuiuio dignum exhibeat? an immundum ac ſordidum, quod in agni ſanguine dealbatum, hominem, qui ſequatur agnum quocunque ierit, efficit dignum? an immunda ſunt opera, quæ ex illo aquæ uiuæ, quam Spiritus ſanctus ſaliẽtem in uitam æternam produxit in nobis, fonte manãt & profluunt? an immunda ſunt quæ Deus cælo æſtimat digna? an immunda quæ in cælorum regnum intrabũt, quo nihil coinquinatũ intrabit? Opera enim illorũ, ait,
Apoc. 14. ſequuntur illos. Sed quinam ſunt hi, quos opera ſua ſequuntur? Ij nimirum qui in Do-

mino

mino moriuntur; quos hoc nomine felices
merito dixerim. At quõ felices, ſi eos ope-
ra ſua immunda quaſi pannus menſtruatæ
ſequantur? An eos huiuſcemodi opera ſe-
querentur in cælum, in quod nihil immun-
dum, nihil coinquinatũ intrabit? Talia igi-
tur opera illos fœlices profectò non redde-
rent, ſed potius infelices ac miſeros, ſi eos co
mitarentur, cùm in cælum recipi nullo mo-
do poſſint. Non ergo de huiuſcemodi ope-
ribus loquitur Ioannes Apoſtolus, ut aduer
ſariorum errori fauere uideatur. Itaque lon
gè aliter ille ſentit quã tu frater. Sed Eſaiæ
mihi ſententiã opponis: Quaſi pannus men
ſtruatæ uniuerſæ iuſtitiæ noſtræ. Quis hoc
ſcriptum eſſe negat? Sed quæro ex te, De
quorum operibus Propheta tum loqueba-
tur? num de fidelium in Chriſti baptiſmo
renatorum? Nihil minus. ſed de ſuæ gentis,
de Iudæorum operibus loquitur: quæ ita
immunda erant ac cõtaminata ſordibus pec
catorum, ut ſi quid in iis honeſtũ ac religio-
ſum uideretur, id totum certis ſceleribus ac
flagitiis inquinatum eſſet. Quam Eſaiæ eſſe
ſententiam, facilè intellexiſſes, ſi ea, quæ
paulò antè poſita ſunt, uerba legiſſes, id eſt,
ſi totam illam ſententiam, non aliquam eius
particulam legeres. Sed hac truncata ſen-

tentia,

tentia, quam ex impoſtorum tuorum libris, tanquam ex uitiato fonte, hauſiſti, maluiſti eſſe contentus. Itaque quod inde malè ſumpſeras, in ſanctorum opera, quæ tibi oppugnanda ſumpſiſti, peius detorques. Porrò ſi totam illam ſententiā perlegiſſes, alio uel interprete uel explicatore tibi opus nō erat. Cùm. n. à Propheta ſcriptū ſit his uerbis: Facti ſumus ut immūdi omnes nos, & quaſi pannus mēſtruatæ uniuerſæ iuſtitiæ noſtræ: & cecidimus quaſi folium uniuerſi, & iniqui tates noſtræ quaſi uētus abſtulerūt nos; qui uniuerſas iuſtitias ſuas immundas eſſe dicebat; iniquitates atque peccata, huius immun ditię ac ſordium cauſam eſſe luculenter oſtē dit. Non ergo de ſeipſo, ſed de ſæculi ſui hominibus Propheta loquitur; qui cùm opera quædam, quę à bono & æquo abhorrere nō uiderentur, ut uerbi cauſa eleemoſynas, ieiunia, nonnullaq́. alia iuſtitiæ opera facerēt; ita tamen ea adminiſtrabant, ut aut libidini, aut ambitioni, aut auaritiæ dediti, omnia rectè facta hac peccati ſorde polluerent. Iure igitur huiuſcemodi opera immunda dicuntur, ac menſtruatæ mulieris ſordibus meritò comparantur. Hanc Prophetæ eſſe ſententiam facilè quiuis diligens lector intelliget. quam ſi aliter explicandā putas, uide quęſo,

ne te

ne te hæc Apoſtoli Ioannis uerba impediãt: Opera enim illorum ſequuntur illos. nimirum in cælum, quò nihil inquinatũ admittetur. Itaque hæc duo loca tibi concilianda relinquo, quorum inter Symplegadas, ſi errorem tuum defendendum putas, in uado hæreas neceſſe eſt.

Venio ad illum locum, quem ex libri Iob cap. 14. imperitè ſanè ꝓducis: Ad quod tibi circumſcriptè breuiterq́ue reſpõdeo, nõ de bonis angelis, ſed de malis illic eſſe ſermonẽ. Quod non quarto decimo, ut exiſtimas, ſed quarto capite ſcriptũ eſt, nec ipſius Iob uerba ſunt, ſed Eliphaz Themanitæ, cuius non omnia fuerũt Dei iudicio comprobata. Sed ne contentioſum funem trahere uideamur, dæmonas qui quondam angeli Dei fuerũt, peccati ſordibus inquinatos fuiſſe, nõ inuiti ſanè cõcedimus. At uerò prophetam Dauid nobis opponis, qui cùm talis eſſet ac tantus, Dei nõ iudicium poſtulabat, ſed miſericordiam implorabat. Rectè. ſed hanc orationem illi nõ uirtutum ſuarũ recordatio, ſed uitiorum ac criminum, adulterii & homicidii cõſciẽtia extorquebat. Quod de Daniele producis, nihil ad cauſam; neq; enim illic aliud quicquam agitur, niſi de peccatis populi qui in Babylone captiuus detinebatur, pro quo

Propheta preces fundens, illum ob ſua patrumq́. ſuorum ſcelera atque peccata meritò detineri fatetur. Quod autem poſt obiicis, nos inutiles eſſe ſerhos, id iam antè diluimus, Deoq́. nos, non nobis inutiles eſſe mõſtrauimus. Neque enim quiſquã noſtrorũ unquam adeò inſanus fuit, ut opera noſtra Deo aliquid emolumẽti adferre cõtenderet. Nobis igitur illa, nõ Deo, proficiũt. Cæterũ quòd cælorũ regnũ, antequã bona opera aggrediamur, noſtrum eſſe ſomnias, nouum philoſophiæ genus eſt, adeò non ſolùm à uero, ſed etiã à ueri ſimilitudine abhorrẽs, ut hoc uno omnia Stoicorum paradoxa ſuperẽtur. Quis enim unquã audiuit, à præmio laborem, quo præmiũ quæritur, anteuerti? Quòd ſi te iam in cælo eſſe autumas, aut ego fallor, aut tu ſomnias. adhuc enim te nobiſcũ in hac miſeriarũ ualle uerſantẽ uideo. Quid in Euangelica parabola? *Matt.* 20. Nonne cultores antequam iis merces rependatur, mittuntur in uineam? Et ſeruus ille fidelis, ac prudens, num antè Domini uoce laudatur? num intrat in gaudiũ Domini ſui, antequam ad negotiandum, ad laborandũ, ad ſudandum talẽta ſuſcipiat? Quis unquã ante certamen coronatus eſt? Quis ante uictoriam triumphauit? Quòd ſi fortè mihi

ſubtilem

ſubtilem illam ſpiritualis fidei ueſtræ, quæ tantas habet uires, ut etiā abſentia repræſentet, diſtinctionem opponis, ut te ante pugnam habere uictoriam, & ante laborem tenere mercedem doceas, nobiſq. perſuadeas, equidem exiſtimo ante te in cælum hoc modo ingreſſum eſſe neminem. Quod autem abs te de diuina prædeſtinatione citatur ex Paulo ad Epheſ. 1. nihil omnino ad rē facit, ut te regni cæleſtis mercedem ante operum laborē accepiſſe demonſtret. Repugnat ſiquidē experientia, quæ te nō in cælo, ſed in mundo eſſe, illamq. immortalitatis gloriam nondum conſecutum eſſe demōſtrat. Quæ cùm ita ſint, cùm tuum orationis genus conſidero, magnum denuò mihi timorem incutis. Nam ſi in hac inſania perfidiaq. perſtiteris, magnoperè uereor, ne iā non Adonidis hortis, ſed paradiſi, iuxta tuam opinionem, deliciis perfruenti tibi, nihil præterea expectandū ſit: niſi fortè in rectū, quod deſeruiſti, ſalutis iter redeas. Neque enim dubium eſt, quin hæreticus in æternæ beatitudinis regnum ingredi nullo modo poſſit. Te autē frater, te inquā, quod dolēs profero, Auguſtinus hæreticum eſſe pronunciat. Liberum enim, inquit, arbitrium quiſquis negauerit, catholicus nō eſt. Quare mi frater, ne te ipſe

decipias. abiice quæſo illam inſaniã, qua tè cæleſtis regni beatitudinem iam cõſecutum eſſe ſomnias. Qui bona opera fecerint, ſoli
Matt. 26. Chriſto teſte, regnũ cõſequentur æternum;
Hebr. 11. qui mala, eos gehennæ ignis excipiet. Sine fi de impoſſibile eſt placere Deo. fides autẽ ca tholica una eſt, quam te non habere, cùm li berum uoluntatis arbitriũ neges, perſpicuũ eſt. Quapropter à te peto frater, ut ſaluti tuę conſulas, nec in ſuſcepto contra catholicam fidem errore permaneas. Abiice quęſo iſtas opiniones à ueritate abhorrẽtes, ad paternã
Luc. 15. domum cũ illò euangelico prodigo redi, ut nos omnes nõ minore gaudio reuerſus exhi lares, quàm recedens mærore cõfeceras. Nõ eſt autem mihi dubiũ, quin hæc uel præci pua erroris tui cauſa ſit, quòd uerã rerũ, de quibus in ſcripturis agitur, proprietatẽ atq; naturã minus attentè conſideras; ſed in hoc uno diligentiam tuam ſtudiumq. conſumis, ut diſertus ac facundus eſſe uidearis. Atqui uerũ de unaquaque re iudicium, non è uer borum ſono, ſed ex ipſius rei cognitione ge neratur. Ex quo intelligi poteſt, te de huma na dignitate parũ cogitauiſſe, ut minus mirũ ſit, te quid inter hominẽ, & cætera animan tia interſit, nõ uidere. Id autem eſt liberum uoluntatis arbitriũ, quo neque animalia re-

liqua, neque ullum uiſibile corpus ornatur. Quæ enim alia poteſt eſſe cauſa, cur neque bobus, neque aſinis, neq; equis, neque cæteris animantibus uitę præcepta dedit Deus? Cur neque Prophetarũ, neq; Apoſtolorũ, neque prædicatorũ quenquã ad eos miſit? Cur iis neque diſciplinam pręſcribit, neque quicquã aut pollicetur, ut illiciat, neque minatur, ut terreat? Solus homo eſt cui uitę ratio ac diſciplina pręſcribitur, qui legibus uinciatur, quẽ & Dei promiſſa ſollicitẽt, & minæ terreant. ad hunc ſolũ & Dei uerba diriguntur, & Prophetæ Apoſtoliq́. mittuntur. Si homo brutis animãtibus ſimilis, liberum non haberet arbitrium, nec aliqua lege tãquam freno coërcendus, nec promiſſis ullis aut minis ſollicitandus certè fuit, ſed hũc in cæterorum animantium numero habere Deus debuit; de quibus Paulus: Nunquid *1. Cor. 9.* de bobus, ait, cura eſt Deo? Vnde hominem mundi ciuẽ, honeſtũ ac nobilẽ, qui à Deo non tanquã ſeruus à Domino, ui, minis atque imperio, ſed tãquam in libera ciuitate politicè gubernetur, eſſe perſpicuũ eſt. Mancipia ui ac uerberibus ſeruire coguntur, ſed longè aliter agitur cum homine, nimirũ ſuaſionibus, exhortationibus, promiſſis, minis. cætera omnia quadam neceſſitate ad agen-

dum impelluntur, homo nō ſeruili cōditione, ſed libera, uolūtatis arbitrio ducitur, nō ulla neceſſitate compellitur. Vnde egregiè Bernardus: Volens, ait, Deus nobilē creaturam hominem errantem in uiam ſalutis reuocare, Si, inquit, inuitum coëgero, aſinū habebo, non hominē. Num igitur aſinis dabo regnum meum? Scio quid faciā. Vt ergo habeam uoluntarium; terrebo eum, ſi fortè conuertatur, & uiuat. Itaque cōminatus eſt acerbiora, quæ excogitari poſſunt, tenebras æternas, uermes immortales, ignem inextinguibilē. Cùm autē nec ſic homo reuocaretur, ait: Nō ſolùm timidus, ſed etiā cupidus eſt, promittā ei quod potiſſimùm deſiderabile uideatur. Deſiderant homines aurū & argentū, & ſimilia, & ſuper hæc omnia uitā deſiderant. Si, inquit, tantopere deſiderant miſerā hanc, laborioſam uitā, & momentaneam: quantū diligent uitam quietā, æternam, beatā? Promiſit itaque uitam æternā, promiſit quod nec oculus uidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit. Ita Deus hominem hinc timore ſupplicii, inde amore præmii ad uirtutis ſtudium reuocat. alioqui ſi ui agendū fuiſſet, nō minus aſinis ac bobus, cæteriſq. eiuſmodi animantibus, quàm homine uti potuiſſet Deus. Hūc enim

soluit

noluit trahere repugnãtem, quēadmodum illa frenis & capiſtris inuita trahi conſueuerunt. Nihil ſiquidem Deo placet, niſi uoluntarium; nihil Deũ offendit, niſi uoluntariũ. Quæ cùm ita ſint, hæc conſideratio ad intelligendum, cur homo uoluntatis libertate ſit prædìtus, reliqua uerò animantia eiuſmodi facultate careãt, ualet plurimùm. Illa enim neq; Deum, quem ignorant, colere, neque ſuum auctorē amare, aut timere, neque ab illo boni aliquid ac felicitatis expectare ullo modo poſſunt. Vt ergo cauſam intelligamus, cur hominis opera meritoria ſint aut demeritoria, animaduertēdũ eſt, illa ab eius cõſilio ac deliberatione proficiſci; ita ut de iis nõ ſolùm iudicare poſſit, uerùm etiã illorũ bonitatem malitiamve cognoſcere. nam in uniuſcuiuſque mente boni maliq. cognitionem inſeruit conditor Deus, atq; defixit. Perſpicuum eſt autē mutas pecudes à Deo nec boni quippiam expectare, nec mali metuere. Neque enim illorum opera planè ſeruilia Deo curæ ſunt. Itaque uiuat pecus in paſcuis, vt uoluerit, imò ualuerit, oues lupus deuoret, homines leo, pullos uulpecula, nũquã apud Deum homicidii aut furti cauſam dicent. contrà equus per totã uitam in homine geſtãdo, laboret, aſinus ſarcinas portet,

bos aratrum trahat, nihil unquã mercedis à Deo, nihil prę mij, prę ter id quod in hac uita ceperint, pro tantis laboribus conſequentur. Hominis autẽ longè alia eſt cauſa. nam & laboris ſui præmium certamq́. mercedẽ, multoq́. maius bonũ, quàm quod hic percipere uidetur, expectat, & peccati ſui, quod ipſa conſcientia reprehendit ac damnat, pœnas timet. Quæro nunc ex iſtis qui uoluntatis libertatem negant, cur inter hominũ pecudũq́. facta tanta diuerſitas eſt? Cur Deus hæc contemnit & præterit, illorũ rationẽ habendam putat? cur ex iis alia præmio digna iudicat, àlia ſupplicio deſtinat? cur homicidia, cur adulteria, cur furta tam acriter puniuntur? cur ob ſui operis qualitatẽ homo nunc uituperatur, nunc laudatur? Tolle liberum uoluntatis arbitriũ, & hæc omnia iaceant neceſſe eſt, nec quicquam inter hominis pecudiſq́. factum intererit.

Eſt aliud prę terea conſideratione digniſſimum; Si homo ſuapte natura, illaq́. mirabili conſtitutione nõ ordinatur ad maius aliquod bonũ, quàm quod in pecudem cadere poſſit, ipſius naturæ auctor & conditor in illum ſanè iniquus eſt, qui miſerũ hominem potius, quàm pecudũ genus præceptorum ſuorum ſarcina grauandum putat. Illa

ſiquidem

ſiquidem nõ Dei legibus edictiſve terrẽtur. illæ Dei præcepta non audiunt, ſed omni cura uacuæ, non modò corpori ſeruiunt, ſed etiam ſuauiſſimas ex ipſo corpore hauriunt uoluptates. Certè ſi hominum opera ſua ui atque natura, pecudum operibus meliora maiorique præmio digna non eſſent, haud ſine iniuria graue moleſtumq. talium legũ iugum illis eſſet impoſitũ, cuius ea uis eſt, ut miſeros homines metu perculſos & anxios, tranquillo quietoq. animo uoluptatem capere non ſinat.

Quid? illud quale eſt? imò quid ſibi uult, quòd hominis peccatũ ſummo ſupplicio dignũ ducitur, deuotionis obſequiũ ueri boni pręmio iudicatur indignũ? Cur his qui Deũ offendens, pœnam cõmeretur æternã, facere aliquid diuinitus adiutus nõ poſſit, quod infinito præmio dignũ eſſe uideatur? Infinitam autẽ eſſe hominis offenſam, hinc facilè probari poteſt, quòd in infinitã illã bonitatem, illamq. diuinæ maieſtatis ſublimitatẽ admittitur. Grauius eſt ſocium & æqualem uerberare, quàm ſeruum. Quid dominum pulſare? quid regem? nonne multò grauius eſt? nõne hoc facinus longè indignius iudicatur? Si igitur is qui digniorẽ ac ſublimiorem offendit, grauius peccare conuincitur,

cum,

eum, cuius infinita maieſtas eſt, offendere, nonne infinitum peccatum eſſe cenſebitur? Quemadmodum igitur uitiorũ magnitudo ex illius qui offenſus eſt, qualitate penſatur; ita uirtutis tum ex Spiritus ſancti gratia & motione, tum ex illius, ad quem refertur, bonitate atq; natura, dignitas æſtimatur. Itaq; ut Deum offendere culpa infinita eſt, ſic eũ colere eiq. obſequi, uirtutis eſt infinitæ. Et quemadmodũ Dei odium pœnam commeretur æternam, ita eius amorẽ infinito præmio dignũ æſtimari neceſſe eſt. Alioqui quã iniquum eſſet, offenſam infinitæ magnitudinis æſtimare: obſequium autem offenſioni culpæq. contrariũ, parem gratiam non mereri? Si illa infinitis ſuppliciis meritò uindicatur, hoc paribus pręmiis deſtinatum nõ iure cẽſebitur? Itaque ſi bona opera noſtra boni aliquid promereri negarem, mala æternum ſupplicium commereri, qua fronte defenderem? Quanquam enim ob primũ illud Adæ grauiſſimumq. peccatum Dei ira in totũ genus noſtrum iuſtiſſimè excanduit, adeò ut etiam ij qui à Chriſti, ſine cuius fide boni aliquid fieri nõ poteſt, nomine alieni ſunt, ęternæ mortis ſupplicio iure plectantur, tamen iam per ipſius Chriſti mortem reconciliati Deo, nonne æquum eſt, ut quemadmodum

peccatis

peccatis noſtris ſupplicia commeremur; ita bonorum operum merito præmia conſequamur? Alioqui ſummum illud Chriſti beneficium, quo & redempti & reparati ſumus, nobisq. tantum ad bona opera faciēda gratiæ, quātum in ſuæ creationis exordio acceptū, Adam per peccatū amiſerat, reſtitutum eſſe credimus atq; confidimus, quomodo intelligemus? Vim illam reparationis noſtræ atq; efficaciam qua in re quæſo ponemus? Vt ergo protoplaſtus iu naturæ ſuæ integritate ſtatuq. innocentiæ perſeuerans, aliquid prę-mio dignum facere poterat, ita de renatis in Chriſto Deique beneficio reſtitutis, iudicādum eſt eodem modo. Quid enim aliud nobis ſecunda natiuitas attulit? quid pręſtitit, ſi in eadem qua cæteri, qui Deum neſciunt, imbecillitate miſeriaque uerſamur? ſi inter fidelem & infidelem nulla diſcretio eſt? ſi in eodem quo & Iudæi & Gentiles luto uolutamur? ſi una eademque ſententia fidés perfidiaque damnatur? Igitur qui bonorū operum merita tollunt, nonne quantum in ipſis eſt, gratiam Chriſti mediatoris euacuāt? nōne in ipſum redemptorem impia uoce blaſphemant, dum inter fidelium infideliumq; opera nullum uolunt eſſe diſcrimen? Nos uerò qui operum meritum ponimus, læti &

grati

grati beneficium noſtræ reparationis agnoſcimus, idq́. ad nos erigendos tantum ualere, quantum ad nos deiiciendos Adæ peccatum ualuit, & ſentimus & dicimus. Vt ergo per illud originale peccatum meritorii operis facultatem amiſimus, ita per Chriſti gratiam non minus ad bona opera facienda uirium, quàm in illo innocentiæ ſtatu protoplaſtus habuit, nos recuperaſſe credimus atque confidimus. Quare Chriſti beneficio fit ac munere (fremant licet iſti) ut omni tentationi non minus quàm protoplaſtus in illa integritate naturæ, repugnare poſſimus. Vires igitur noſtras de Chriſti beneficio ſumptas tantum ualere credimus, ut nullo tentationis genere inuiti ad peccatum impelli
1. Cor. 10 cogiq́. poſſimus. Vnde Apoſtolus: Fidelis, inquit, eſt Deus, qui non patitur uos tentari ſupra id quod poteſtis, ſed faciet cum tentatione prouentum. Nihil igitur hic, quod cum Dei uerbo pugnet, admitto. Tam clara ſiquidem atque euidens eſt illa Apoſtoli ſententia, ut in alium ſenſum, quàm quem illi attribuimus, detorqueri nullo modo poſſit. Tu uerò qui hominis facultatem ad bonum tollis, nota quæſo hæc Apoſtoli uerba: Non patietur uos tentari Deus ſupra id quod poteſtis. Eſt igitur inter tentationē noſtramq.
facul-

facultatem certa proportio. Nouit itaque Apoſtolus hominem qui ad peccatum inuitus impelli cogiq. non poſſit, abſque aliqua facultate potentiaq. non eſſe.

Sed quoniam rerum naturam pleriq. nõ intelligunt, imperitia fluctuant, atque hærẽtes in uado, dum ſe ex illis controuerſiæ fluctibus explicare nõ poſſunt, fidei naufragiũ faciunt. Ita inter quaſdam naturæ gratiæque Symplegades periclitãtur, dum hæc duo inter ſe concurrere, nec ullo modo conciliari poſſe exiſtimãt. Qui ſi illud, quod fit ex parte per gratiam, quodam modo per naturam fieri, nõ incõgruè dici intelligerẽt, facilè eorũ ex illis fluctibus enauigaret oratio. Quod ergo gratiæ proprium eſt, id meritis quoq; noſtris adſcribi poteſt. Quid? qđ in Pſalmo cùm de redemptionis noſtræ myſterio Propheta loqueretur, miſericordiam cũ ueritate, iuſtitiam cum pace coniunxit? Nimirum ut non unam aliquã in noſtra reparatione, ſed omnes ſimul oſtẽderet fulgere uirtutes. Illud ergo notandum eſt, nihil eſſe magis noſtrum, quàm quod nobis donatum eſt, ſi is qui dedit, donandi habuit poteſtatem. Nam ut ait Iuriſconſultus, res quæ unius erat, donatione transfertur in alterius poteſtatem, adeò ut quod mihi donatũ eſt, hoc propriè

ſit meum. Res multis modis ab hoc ad illũ iure transfertur, ut emptione, ut donatione, ut hæreditate, ut lucro, quod aut labore, aut negotiatione comparatur, quorum omnium donatio quæ liberaliter facta eſt, primas obtinet. In hac enim eſt gratia, primùm cùm da tur, ſed quod ſemel datum eſt, ei qui accepit, ſine iniuria eripi nõ poteſt; niſi fortè hic do ni conditiones uiolauerit. Quicquid igitur eo donandi genere ad tuas manus peruenit, id proprie tuũ eſt. In donatione gratia oſten ditur, iuſtitia cùm id quod per gratiã acquiſi tum eſt, tibi integrum ſanumque ſeruatur. Nihil nobis datum eſt, ſi nihil noſtrum eſt. Alia enim eſt doni, alia mutui ratio. Hoc ſiquidem uſum tantùm adfert; illud rei datæ non ſolum uſum, uerùm etiam poſſeſſionẽ. Cùm igitur de Dei donis ſermo eſt, aliquid liberè, & gratis datum atque in hominis ius poſſeſſionemq́. tranſlatum, intelligi neceſſe eſt. Quo poſito, ſi quęratur cur id homini da tum ſit, quiq́. ſit ipſius doni finis, illud reperietur, ideò datum eſſe, ut in ſuam utilitatẽ & commodum utens, lucrum homo faciat. Neque.n. donum eſt, ſi nullus illius eſt uſus. Illud autem lucrũ, quod ex eo dono noſtra peperit induſtria, propriè noſtrũ eſt; quod ſine iniuria nobis eripi non poteſt. Sic ignis

urendi

urendi uim ex ſe nō habet,ſed ex Deo; quã etſi à Deo ſumptam, meritò tamen illi propriam dicimus. Hominem igitur Chriſtianũ dicimus omni tentationi repugnare poſſe, propterea quòd gratiæ diuinæ robur accepit; iuxta illud quod Apoſtolo Paulo, ut à ſe ſtimulus carnis auferretur, rogãti reſpõſum eſt: Sufficit tibi gratia mea. Quaſi diceret: Per gratiam meam illum carnis ſtimulũ non modò retundere, ſed etiam uincere poteris. Quod cùm pòſt expertus eſſet, confidenter aiebat: Fidelis eſt Deus, qui non patietur uos tentari ſupra id quod poteſtis, ſed faciet cum tentatione prouẽtum. Quæ cùm ita ſint, non habet excuſationis locum Chriſtianus, ſi à tentatione uincatur, ſicut nec Adamus habuit, cùm uxori aſſentiens, Dei præceptum tranſgreſſus eſt. *2.Cor.12.* *1.Cor.10*

Sed ut ad propoſitum reuertamur, dico gratiam Dei noſtrã eſſe, ex quo bona opera, quæ à nobis eius auxilio fiũt, & quicquid in iis meriti, dignitatis, excellentię eſt, propriè noſtrum eſſe perſpicuũ eſt; operibus enim noſtris ab ipſa tantum dignitatis attribui credimus, eaq. in tam ſublimem gradum ſubleuari, ac ſi in ipſo Adamo, eoque in ſtatu innocentiæ conſtituto inuenirentur. Quid igitur? Nũ hoc orationis genere gratiæ Dei in-

iuriam facimus? Minimè uerò. Imò, ſi uerũ dicendum eſt, uos ipſi gratiæ contumeliam facitis, uos eam minuitis atque deprimitis, cùm opera, quæ ab illius auxilio tãquam ex fonte proficiſcuntur, non ſolùm meritoria eſſe negatis, ſed etiam imperfectionis ac ſordium accuſatis. Quid igitur ſibi uult illud gratiæ præſidium? Quid Apoſtolus Paulus

Rom. 5. cùm Romanis ſcribens: Vbi enim abũdauit delictũ, inquit, ſuperabũdauit & gratia? Crede Apoſtolo Paulo aſſeueranti, peccatum Adæ non tantùm ad noſtrũ interitum, quãtum Chriſti gratiam ad noſtram reparationem ſalutemq. ualuiſſe; Deique beneficia quanti facienda ſint, nõ ex errore ſacrilego, ſed ex ipſa ueritate cognoſce. Quod ut rectè intelligas, boni patris, qui filiis ſuis auri certa talenta ad negotiãdum ea lege diſtribuit, ut illorum ſit totum lucrum atq; emolumentum, tibi ante oculos uerſetur exemplum. Quid? an iis pecuniam ſuam pater tradere tenebatur? Minimè uerò. Sola igitur in filios pietas atque ille paternus affectus, quo illos proſequebatur, iis talenta illa, quibus opes ſibi quærerent, dare coëgit. Ita Dei indulgẽtiſſimi patris benignitas, nobis gratiæ ſuæ munera & talenta cõcedit, ut bonorum operum, quæ illius auxilio pręſidioq́. freti

gesſeri-

gesſerimus, meritò cęleſtes nobis diuitias cõ paremus. Et quemadmodum ii quod acceptis illis talentis adiecerunt, ſuoq. ſtudio atque induſtria quęſierunt, iure ſuum dicunt; ita bonorum operum merita propriè noſtra ſunt. Quanquam enim illorum uis & dignitas ex illo gratiæ Dei fonte præcipuè manat & profluit, tamen hæc iure noſtra dicũtur, proptereà quòd Dei patris beneficio ac munere ipſa quoq; gratia noſtra eſt. Quicquid igitur eius auxilio gerimus, id iure noſtrum eſt. Ita in opere noſtro Dei munus & gratia cum æquitate, iuſtitiaque coniuncta, concurrit & fulget, ideoque Deus vnicuique iuxta ſuorum operum qualitatem dicitur redditurus, ipſa uerò opera noſtra eſſe ſcriptura pronunciat. Porrò qui patris ſui talentũ aut celat, aut improuidè ſtulteque conſumit, is iure punitur. Vnde Apoſtolus, ne gratiam Dei in vacuum recipiamus, hortatur. id eſt, vt ea vtamur, eam in opus conferamus, & dum bene agendi tẽpus nobis Dei benignitate conceditur, eius auxilio meritorum theſaurum nobis acquiramus. Moleſtum tibi videbatur quæſtus vocabulum, ſed ex his quæ modò oſtendimus, quàm rectè gloriã æternam regnumq. cęleſtę noſtris operibus quęrere dicamur, perſpicuum eſt. Quòd ſi adeò

S moro-

moroſus es & acerbus, ut hoc orationis genus niſi ipſum quæſtus uocabulum in diui-
1.Tim. 6. nis literis eſſe monſtremus, faſtidias; quære ex Apoſtolo Paulo, quid ſibi uelit cùm ait: Eſt autem quæſtus magnus pietas cum ſufficientia. quære, inquam, ex Paulo, qui fieri poſſit, ut quæſtus magnus ſit pietas? quære quid ipſa ſit pietas? Quid? Nonne alio loco idem Apoſtolus clariſſima uoce pronun-
Galat. 5. ciat: In Chriſto enim Ieſu neque circumciſio aliquid ualet, neque prępututium, ſed fides quæ per dilectionem operatur? Hoc nimirũ eſt pietas, hoc magnus ille quæſtus. Qualis quæſtus? Num auri uel argenti? Nihil minus. In eodem enim capite auaritiam atque cupiditatẽ eiuſmodi rerũ Paulus oppugnat. Atqui magnus, ait, quæſtus eſt pietas. Quid igitur, dic mihi Apoſtòle, quid inquã nobis hic quæſtus? quid hæc pietas cõferet, ſi neq; aurum, neque argentũ, neque huiuſcemodi opes adfert? Quid? certè coronam, inquit, iuſtitiæ, quã Deus in cælo reponit & ſeruat, non ſolùm mihi, ſed etiam iis omnibus, qui aduentum eius expectant. Sic igitur nos inſtruit Apoſtolus, ac docet, quibus gradibus aſcendamus in cælum, illamq. immortalitatem ac æternũ, quod iuſtitiæ corona ſignificat, gloriæ præmium conſequamur. quam

alibi

alibi pro bonorum operum, quæ quis in hac uita ſeminauerit, ratione meti dicit, noſtraque opera ſementi, quæ fructuum redundantiā adferens, eum qui ſeminauit, ditare ſolet, comparat. Qui parcè ſeminat, inquit, parcè & metet; & qui ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet. Et Dominus in Euangelio: In qua menſura menſi fueritis, inquit, remetietur uobis; ut lucri magnitudinem operū noſtrorum men ſura monſtraret. Cùm hæc igitur Apoſtoli, cùm ipſius Domini uerba ſint, quibus opera noſtra perſpicuè quæſtuoſa eſſe dicuntur, eritne quiſquā adeò furioſus ac demens, ut ea uana, falſa, futilia eſſe autumet? Atqui ipſa opera gratię Dei adſcribūtur. Sed quoniam ipſa Dei gratia noſtra eſt, nobiſq. conceſſa diuinitùs, conſequens eſt, tū opera noſtra eſſe, quemadmodum ſuperiùs oſtendimus; tum etiam ipſam gratiam, cui noſtrū laborem induſtriamq. adiungimus, à nobis rectiſſimè collocari. Ita ne gratiam in uacuum recipiamus, ſtudioſè cauemus.

1.Cor.9.

Marc. 4.

Porrò ſi depoſita pertinacia ſatis docilem te uiderem, quæ cùm de meritis, tum de mercedę præmioq. noſtris operibus debito, fidei noſtræ ſit ratio, pluribus explicarem. Illud certè in præſentia obiter dixerim, ex

æterni præmij qualitate noſtrã quoque animam æternam eſſe, ac proinde noſtrũ agonotheten ac munerarium, non modò æternum, uerùm etiam omnipotentem intelligi neceſſariò. Solus enim ille mercedem, quã bonis operibus diuina æquitate beneficentiaque conſtituit, nobis integram æterna illa infinitaque poteſtate conſeruat. Sed quoniam & hæc lõgior eſt oratio, & tu ipſe rationibus tecum agi non uis, rem totam in alium locum differemus, uidelicet cùm tam multis Dei uerbis atq; ſententiis, ex quibus opera noſtra meritoria, magniſque præmiis deſtinata eſſe perſpicuum eſt, fidem habueris. Hoc enim fundamento poſito, quod reſtat, doctrinæ culmen me impoſiturum eſſe confido; qua ſalubriter imbutus, omni homini petenti rationem, de fide, ac ſpe, quam, uti ſperamus, Dei benignitas animo tuo inſeret atque defiget, reddere ualeas. Intereà quoniam argumentorũ ſcopulos totq. diſcriminum tempeſtates emenſa, ad finem tanquam in portum feſtinat oratio, colligenda ſunt uela, & ad epilogi tutiora compendia dirigendus eſt curſus. Ex ijs igitur quæ à me hactenus dicta ſunt, facilè intelligis frater, quàm impium ac deteſtabile ſit illud doctrinæ genus, quod in tuis literis propugnare

gnare tueriq́ue conatus es. Quod autem in illum tuum Deum, imò monſtrum atque portentum, quod Caluini finxit impietas, ita liberè inuectus ſum, forſitan moleſtè feres. Sed non in uerum illum ſummumq́ue Deum, quo nihil beatius, nihil melius cogitari poteſt, ſed in prodigium quoddam, imò uero idolum, quo nihil uanius eſt, agendum putaui. Quod ſi uehementior fuiſſe tibi uideor, cogitare debebis, me illo orationis genere uſum eſſe neceſſariò, ut impietatis ſtultitiæq́ue crimina deprecarer, atque à meo capite depellerem. Quid enim me ſtultius eſſet, ſi tuam ſententiã atque opinionẽ ſecutus, tam inepta, ſtulta, abſurda de Deo exiſtimarem? Quid magis impium, ſi tam impia de ſummo illo Deo noſtro deliramenta, quæ erroris in liberum arbitrium ueſtri abſurdiſſima cõfinxit impietas, pro ueritate complecterer? Illa illa igitur tam putrida doctrinæ ueſtrę oua frangi oportuit, ut abominabilis ille fætor, qui intus latebat incluſus, ex illis tenebris productus erumperet, ac proinde agnitum atque conſpicuum omnes deteſtarentur ac fugerent, neque ſolùm ipſa oua, uerùm etiam illos impietatis auctores, qui hæc à ſe poſita & inuenta, eloquentiæ ſuæ nitore fouerunt. Elaborandũ

itaque fuit, ne ſimplices Chriſtianorum ac rudes animæ, deinceps illo imbuerentur ueneno, ſed potius ut impium illud ac ſacrilegum doctrinæ genus, tanquam ab iis architectis, qui in reprobum ſenſum inciderunt, quique ſe ſapientes eſſe dicentes, ſtulti facti ſunt, excogitatum, uelut peſtem atque perniciem fugiant. Qui quales ſint, latere te nolui, ut intelligeres iſtos non minus, quàm antiquos illos Romanorum philoſophos, in reprobum ſenſum eſſe delapſos. Cur autē illi in reprobum ſenſum traditi, in paſſiones ignominiæ & execrandas turpitudines inciderunt? Vtique quòd cùm Deū cognouiſſent, non ſicut Deum honorificauerūt, aut gratias egerunt. Quid de iſtis dicemus, qui tantum illos impietate ſuperarunt, ut quantum in iis fuit Deum, quem iniquum, crudelem, immanem eſſe confingunt, ſummis ignominijs contumelijsq́. lacerarint?

Quæ cùm ita ſint, illud in primis mirum mihi uideri ſolet, cum tot diuinæ ſcripturæ locis adeò multa dicantur, quæ ad Dei gloriam pertinent, eiusq́. φιλανθρωπίαν ac beneficentiam oſtendunt, cur iſti loca quædam obſcura, in quibus Deus quodammodo reprehēdi uidetur, amplecti ac mordicus retinere maluerint, quàm ea in quibus Dei bonitas

nitas iure laudatur? Et quáquã cõpluribus in locis diuinæ literæ nihil in Deo mali eſſe non obſcurè teſtentur & clamẽt, aduerſarij tamen ſententiam atque opinionem ſuam, quam ex illis tenebris eruere ſe putant, imò uerò quã illis obſcuris locis impudenter attribuunt, tanta contentione, pertinacia, importunitate defendunt, ut Deo quicquid mali fingi poteſt, contra tot teſtimoniorum auctoritatem & fidem adſcribere non dubitent. Hinc Deum & crudelem & humani generis inimicum, & iniquitatis amatorem atquè fautorẽ faciunt, quiq́ue homines ad peccata non modò ſollicitet & impellat, uerùm etiam cogat, atque inuitos in ipſa peccata præcipitet. Quicquid igitur mali de diabolo dici poteſt, hoc iſti Deo adſcribunt. Sed quoniam hoc impietati parum uidebatur, hoc egerunt aduerſarij, ut Deus qui poteſtate ſuperabat, etiam calliditate malitiaq. uincere uideretur. Nam cùm diabolum eo nomine deteſtemur, quòd homines ad peccata ſollicitet, nullum tamen aliud illi crimen adſcribimus: ita lenones & lenas, & ſi qui ſunt eiuſmodi, deteſtantur omnes boni, quòd matronarum ac uirginum pudicitiam tentant: easq́ue in libidinis turpitudinisq́. uoraginẽ præcipitare conantur. Hoc igitur

uno nomine diabolum odimus, hac de cauſa illum humani generis hoſtem antiquum eſſe ſentimus & dicimus. Quid igitur aduerſarij? certè ea omnia ob quæ & diabolũ & eius imitatores ac ſatellites execramur, Deo ſuo attribuunt. imò uerò longè peiora de Deo ſuo, quàm de diabolo prædicãt. Hunc enim ad peccata quidẽ ſollicitare dicunt, ſed non cogere quenquã, aut impellere inuitum. nullum etenim uincit, niſi uolentem. Ab illo autem Deo ſuo non ſolùm ad peccata ſollicitari homines atq; tentari, uerùm etiam cogi. Quæ ſi illi perpetrare noluerint, ipſum Deum ea in illis efficere contendunt. Sic aduerſariorum Deus ab ijs laudatus, ſic ornatus incedit. Et quãquam
Sap. 14. apertiſſima ſit ſcripturæ ſententia: Similiter odio ſunt Deo impius & impietas eius. itẽ:
Iacob. 1. Deus intentator malorũ eſt. Ipſe enim neminem tentat, neminem ad peccata ſollicitat, iſti tamen ſententiam ſuam, quam ex obſcuris quibuſdã ſcripturæ locis eruiſſe ſe iactant, in quibus Deum in nobis peccata facere affirmari uidetur, contra uerbi Dei auctoritatem ſcripturæque clariſſimam lucem tanta cõtentione pertinaciaque defendunt, ut ab errore deduci nullo modo poſſint. Quæ cùm ita ſint, nonne iſta in ſuſce-

pto errore pertinacia magno argumēto eſt, aduerſarios in reprobum ſenſum incidiſſe, mentemq́ue corruptam & peſſimo quodam humore infectam habere? Si aut ſatanæ, aut cuiuſquam hominis uis & improbitas illos ad peccandum coēgiſſet, nonne culpam omnem in eum qui uim attuliſſet, reiiciendam putarent? Quanquam enim à dæmone non cogantur, ſed tantū ſollicitentur ad malum, cùm tamen ſeſe excuſare conantur, culpam in eum reiicere conſueuerunt, ut quod ſua ſponte commiſerint, ab eo circúmuenti & impulſi admiſiſſe uideantur. Hic uerò longè aliter. Cùm enim hominem à Deo ad peccandū nō modò ſollicitatum & impulſum, uerùm etiam coactum fuiſſe dicant, culpam omnem miſero homini, q́uem licet inuitum peccaſſe contendunt, non ei qui illum pecca re coēgit, adſcribunt. Illum ob peccata quæ in eo Deus fecit, nō qualicunque ſupplicio, ſed æterno; non hoc aut illo pœnæ genere, ſed morte perpetua, iure, meritoq́. puniri. O crudelem & immanem Deum, qui cum in homine ſit auctor fabricatorq́ue peccati, in opus ſuū tam immaniter ſæuit! Quis cū hoc Phalaris? quis Nero? quis Antiochus cōferēdus? Quanquā enim hi inſontes nonnunquā morte plectebant, ipſa tamen mors

eos,in quos illi ſæuiebant, illorum manibus liberabat,nec illa crudelis immanitas niſi ad tempus,& in ſolum corpus quicquam poterat. ille autem non ſolum corpus, ſed etiam animam, neque ſolum ad tẽpus, uerùm etiã in æternum ſuppliciorum acerbitate diſcruciat. Cùm aliquis etſi nocentiſſimus lento igni crematur, aut brachiis cruribuſque fractis diu cum morte luctatur, quis ſpectatorum adeò durus ac ferreus, qui illud ſupplicij ſæuitiæque genus non perhorreſcat? Quid de eo dicemus,qui non lento,ſed maximo igni, non ad tempus,ſed in æternum; non ſolùm corpus, ſed & corpus & animam peccatoris excruciat? Certè ſi,ut aduerſarij dicũt, ipſe Deus peccati auctor eſt, ſi hominem ad peccatum impellit & cogit, nihil eo crudelius dici, nihil immanius cogitari poteſt. Sed abſit à fidelibus tanta dementia. Paulus ſiquidẽ Apoſtolus, ueritus ne ex iis quæ alibi fortaſſis obſcurius dixerat, aliquis talem Deum,qualem iſti faciunt, eſſe ſuſpicaret, manifeſtiſſimè dicit: Fidelis eſt Deus qui non patietur uos tentari ſupra id quod poteſtis. Sic Apoſtolus de Deo ſentit & loquitur; iſti uerò longè aliter.homines enim à Deo ita tentari, & ad peccatum tanta ui impelli uolunt, ut ei reſiſtere nullo modo

poſſint.

poſſint. Quis enim hominum reſiſtat Deo? quis eius potentiæ repugnet? Ille Deum factūrum cum tentatione prouentū haud obſcurè pronunciat, ut intelligamus hanc hominis utilitati proficere, contrà iſti tentationem uimq. diuinam ad ſolam hominis æternamq. perniciem ualere contendunt. Quæ cùm ita ſint, quis aduerſarios, qui contra rationis uerbiq. Dei clariſſimum lumen, in ipſum Deum tam contumelioſa, impia, indigna confingunt, à Deo derelictos, in reprobum ſenſum incidiſſe iam dubitet?

Olim Euangelio coruſcāte, ſuperſtitionis ex orbe terrarū depulſæ ſunt tenebræ, triſtis Saturnus, mœchus Iupiter, Mars cruentus, Venus meretrix, cæteraque portenta nō numina, tanquam diuinitatis nomine indigna, propter criminum turpitudinem vulgò reiecta. Quibus exſibilatis Deus ille, qui unus & uerus eſt, quiq. ſapiētiſſimus, optimus, potentiſſimus, hominumq́ue præcipuus amator eſt, ab omnibus colebatur; nunc extiterunt iſti qui nouis dogmatibus, imò paradoxis non ſolùm illorum falſorum deorum ſtupra, adulteria, inceſtus, cædeſq́ue, ſed etiam quicquid flagitiorum ac ſcelerum toto orbe terrarum geri poteſt, uero Deo adſcribant. Hunc itaque non φιλάνθρωπον, hominumq́ue amato-

amatorem, ſed inimicum, ſed hoſtem, ipſo quoque eorum iurato hoſte dæmone ſęuiorem. Horreſco referens eiuſmodi errorem, impietatem, blaſphemiam in Deum à noſtri ſæculi Chriſtianis excogitatum eſſe. Qui negant in nobis eſſe liberũ uoluntatis arbitriũ, ij omnes illas abominationes atque blaſphemias, quas ex erroris ſui peſtilenti ouo Lutherus excluſit, uno impietatis inuolucro tegunt. Quid autem de illius temeritate audaciaq. dicemus, qui & Dauidis adulteriũ, & Iudæ proditionẽ non minus, quàm Pauli conuerſionem opera Dei eſſe dicere, nec dubitauit, nec erubuit? O portentum in ſolas terras deportandũ! Cuius ueſtigiis præclarè Caluinus inſiſtit, cùm omnibus eloquentiæ ſuæ uiribus, hominem ad peccatum à Deo impelli & cogi, perſuadere conatur. Illam igitur impietatẽ & inſaniam, quę liberi arbitrij negatione celata continebatur, iſtorum ex illis tenebris educit oratio; quam qui legit aut audit, neque tamen perhorreſcit, tamq. ſacrilegam & impiam deteſtatur inſaniam, hunc in reprobũ ſenſum iam incidiſſe, perſpicuum eſt. Quis ergo adeò cæcus eſt, ut nõ uideat ab iſtis Deum non modò non glorificari ut Deum, ſed potius omni contumeliæ genere affici? Deus enim per ſuorũ prophe-

tarum

tarum ora ſępe teſtatus eſt, ſe non eſſe talem
qualem eum iſti faciunt, ſed potius homi- *Prouer.* 8
num amatorem, qui hinc omnes ſaluos fieri *1.Tim.* 2.
uellet, inde mortem peccatoris nollet; quiq. *Ezec.* 18.
ita & peccati odio & amore iuſtitiæ teneret, *Pſ.* 5. & 10.
ut nullũ niſi ob ſua peccata puniret, ſed po- *Pſ.* 105.
tius bonum & miſericordẽ, qui perditionis *Act.* 10.
cuiuſquam hominis cauſa non eſſet, ſed po *Rom.* 2.
tius ſine acceptione perſonarum, omnium ſa
lutem optaret. Vnde igitur tanta iſtorum ini
quitas & impietas, ut contra tam perſpicua
ſcripturarum teſtimonia, quibus Deus opti-
mus, iuſtiſſimus, miſericordiæque plenus
oſtenditur, propter obſcura quędam ſcriptu
rarum loca; quæ tamẽ non bene intelligunt,
illum peſſimum, crudeliſſimum, iniquiſſimũ
facere, quàm illorum locorum, quos produ
ximus, aliorumque innumerabilium perſpi-
cuitati fidem adhibere malint? Quod euidẽ
tius reprobi ſenſus corruptæque mentis &
euerſæ argumentum adferri poteſt? Apoſto
lus certè philoſophos illos qui ſuis errori- *Rom.* 1.
bus uaniſque dogmatibus uerum Dei cul-
tum ac religionem adulteratã, in falſam de-
nique cõmutarunt, in reprobum ſenſum me
ritò incidiſſe demonſtrat, quid de iſtorũ im-
pietate dicemus, qui Dei cultum non adul-
terare, ſed funditùs euertere; qui religio-
nem

nem non corrūpere, ſed penitus abolere conantur? Qui cùm tā abſurda, iniqua, crudelia de Deo, qualia ſunt ea, quæ ex erroris ſui in liberū uoluntatis arbitrium fonte hauriētes, Deo adſcribunt, hominū generi perſuaſerint, an non tādem illud efficient, ut quibus de cauſis illum Iouis, Martis, Veneris, Herculis, cæterorumque non deorum, ſed idolorū cultum ac ſuperſtitionē orbis quondam reiecit ac reſpuit, ueram quoque religionem, ſi tamen uera eſſe poteſt, quæ talē, qualem illum iſti eſſe confingunt, Deum colit, iiſdem adductus repudiet? Illi igitur ueram religionem in falſam commutarunt; hi peregrinis atq; paradoxis opinionibus ſuis nullum ueræ religioni locum relinquunt.

Rom. 1. Sed ad alterum reprobationis iſtorum argumentum ueniamus. Illi philoſophi à Deo derelicti corpora ſua cōtumeliis affeciſſe dicuntur. Iſti autem cùm hominem ex homine tollentes, eum pecudem eſſe dicunt, & quidem omnium miſerrimā, non ſolùm corporibus, ſed animabus ſuis, totique humano generi dedecus adferunt. Nam qui liberum tollit arbitrium, is homini id, quo à pecudibus differt, adimit; quo ſublato, quid inter hominem & pecudem intereſt? Profectò nihil. ſed operæpretium eſt animaduertere, quibus

contu-

contumeliis hominē afficiant. Arbores, plantas, lapides cæteraque huiuſmodi fructum aliquem adferre nec otioſa, ſed potius alicui eſſe uſui confitentur, ſolus homo, inquiunt, nihil nec agit, nec agere poteſt, non aliquem fructum adferre, non bona opera producere ualet. Neque eo dedecore contumeliaque contenti, qua hominem racha, id eſt uanũ & inutilem dicũt, eum non modò fatuum, ſed etiam pernicioſum ac malum faciunt, cùm eum nihil niſi malũ agere, neque aliud quicquam, niſi in quo & ſibi & cæteris noceat, poſſe pronunciant. Sed quoniã hæc omnia iis leuia uidebantur, illud etiam adiiciēdum putarunt, ut hominem ſui ipſius ſuæque animæ facerent parricidam, dum illum aliquid, qđ ſibi utile ſit ac meritorium, facere poſſe negant, ſed quicquid tandem molitur aut agit, id totum ad ſolam animæ ſuæ æternãq. perniciem ualere dicunt, tantumque abeſſe, ut aliquid boni poſsit, vt omnibus operibus, factiſque ſuis, nihil aliud quàm ſuam miſeriam, calamitatem, interitum augeat atque promoueat. Quæro iam an de cæteris animantibus eiuſmodi aliquid dicant? Nonne cum Cicerone loquuntur & ſentiunt, ſimul atq; natũ ſit animal, ipſum ſibi conciliari & commendari ad ſe conſeruandum, alienari *3. De Finib.*

autem

autem ab interitu, iiſque rebus, quę interitū uidentur adferre? Si quis homini manus datas eſſe diceret, nō quibus uteretur, ſed quibus ſe ipſum occideret, oculos quibus nō pericula declinaret, ſed ad præcipitiū duceret, dētes quibus nihil aliud niſi artus ſuos ipſe laniaret, eius abſurdiſſima uideretur oratio. Sed longè abſurdius eſt dicere hanc ſolam homini facultatem eſſe conceſſam, ut nihil aliud poſſit, niſi in ſingulis operibus factiſq. ſuis animā ſuam ipſe iugulare. Nonne tolerabilius erat minuſque miſerabile, homini eam vim eſſe ac facultatem, ut corpus ſuum, quàm ut animam ſuam proprio mucrone iugularet? Nā ſi manus ſibi, id eſt corpori ſuo adferre omni parricidio grauius iudicatur, quid de illa, quæ ſuam animam occidit, uoluntate dicemus? Quid igitur de humana conditione grauius, quid odioſius dici pōt? Hominem itaq; ipſis dæmonibus atq; damnatis miſeriorem faciunt. hi enim quemadmodum nihil boni deinceps agere, ita damnationem ſuam atque ſupplicia augere non poſſunt: miſer autē homo, ut iſti uolunt, nihil quidem boni, quemadmodum nec ille facere poteſt, ſuam tamen damnationem & interitum nihilominus per ſingula momēta auget. Cùm hæc & alia eiuſmodi aduerſarii

loquantur,

loquantur, & ſentiant, quis eos in reprobũ ſenſum incidiſſe iam dubitet? Quanta autẽ ingratitudo, quanta impietas in Deum id ab illo datum negare, quo iſti ad ſua commoda ſemper utuntur, & ſine quo nihil poſſunt? Si quis negaret ſe corpus aut linguam habere; is cæcus aut inſanus iudicaretur; qui liberũ uoluntatis arbitrium habere ſe negat, æquè cęcus atque amens habendus eſt. id enim in ſe eſſe negat, quod in illo experientia rerũ magiſtra perſpicuè eſſe demonſtrat, quodq. ipſe quotidie experitur & ſentit. Negat igitur præcipuam ſui partem, qua Deum ſuum intelligere, amare, colere poteſt. Quæro nunc ab aduerſariis, ſi liberum non habent uoluntatis arbitriũ, quænam eſt illa uis, quæ potentia, qua Deum amant & colunt, quod cætera animantia, quia libero priuantur arbitrio, nullo modo poſſunt.

Sed uidentur mihi aduerſarii non cæcis & amentibus, ſed ipſis beſtiis furore ac rabie percitis ſimiles. Vt enim rabidus canis quoduis obuium animal ipſumq. dominum ſuũ mordet, ac tandem ſe ipſum dilaniat & occidit; & quemadmodum homo furioſus artus ſuos mordet ac rodit, ſeq. uel præcipitio uel laqueo necat, uel in profluentem inſilit, ſeſeq. ſubmergit, aut certè ſuos filios, uxo-

rē,propinquos,amicos crudeliſſimè occidit: ita iſti qui ingenium ſuum atque omne ſtudiū eò conferunt,ut ipſum Deum rodant ac mordeant,ſeſeq. ipſos ac omne hominū genus, quātū in ipſis eſt,crudeliſſimè occidāt, nō minus mihi furioſi uideri ſolent.Quod ſi illos nō ſolùm horrere cōſueuimus, uerùm etiam uinculis & catenis ligare cōpellimur, quid his,quorū & impietas in Deum, & crudelitas in homines redūdat, facere æquū eſſet?Sed ut ad propoſitū reuertamur,illud tenendum eſt, homini à Deo nihil, niſi quod illius utilitati ſalutique proficeret, eſſe conceſſum; quo ſi in ſuam perniciem abutatur, eum contra naturā facere. Homo, exempli cauſa manus & brachia accepit, ut iis ad utilitatem & conſeruationē ſui,cùm res poſtulat, uti poſſit. quod ſi ſe ipſe ſua manu occidit, ſuiſq. membris in ſuam perniciem abutitur, omnium ſicariorum immanitatē ſuo facinore uincit, contraq. naturam facit. ita ingenij facultatem accepimus, ut ea in noſtrum commodum utamur: quam ſi quis eò detorſerit,ut aliquid,ex quo nullus fructus, nulla utilitas conſequatur, aut neget, aut aſſeueret, is in uanum accepit animam ſuā. porrò ſi hāc ingenij uim ita deprimit & abijcit, ut contra ſeipſum aliquid aut aſſeueret

aut

aut neget, quemadmodum fit cùm liberum negatur arbitrium, animam ſuã ille iugulat & occidit, ipſamq́. naturam uiolat, dum ſe nobiliſſima pręcipuaq́. animę parte, ſine qua nec anima ipſa rationis eſt particeps, priuat & ſpoliat. Quẽadmodũ igitur eos, qui corpori ſuo manus adferũt, furioſos dicimus, & amentes; ita eos, qui animas ſuas ipſimet iugulant, liberumq́. negantes arbitrium, ueram illam uitam ſibimet eripiunt, inſanos, furioſos, amentes exiſtimare debemus. Sunt hæc quidẽ grauiſſima ſuo pondere, ſed illud longè grauius, quòd iſti omnem ingenij facultatem eò conferunt, ut Dei, quẽ peccati & iniquitatis auctorem facere non dubitãt, bonitatem atque iuſtitiam negent è medioq́ue tollant. Cùm enim tam ſacrilegum dogma impia uoce defendunt, nonne in ipſum uniuerſi auctorem Deum, illumq́. benigniſſimum parentem generis humani impetum faciunt, eumq́ue quantum in ipſis eſt, perdere atque exterminare conantur? Et dubitabit aliquis iſtos qui tam impiè ſuis ingenijs abutũtur, qui dentes ſuos in ſua uiſcera acuerunt, qui linguas ſuas in ipſam naturam armarunt, qui toti humano generi peſtem atque interitum adferre conãtur, qui in ipſum quoque Deum adeò nefariè impetũ fa-

ciunt, eſſe furioſos? Quod inſaniæ, furoris, amentiæ genus cum hoc conferri poteſt? & iſtos adhuc ſanę, ac non potius emotæ mentis arbitraberis frater? Neque uerò hæc eò pertinent, ut iis conuiciũ faciam, ſed ut eorum cæcitatem, furorem, inſaniam tibi mi frater oſtendam; qua perſpecta, cui hominũ generi fidem haberes, & quorum ſacrilegũ ſequereris errorem, dum liberum negas uoluntatis arbitriũ, intelligeres, quod impium dogma, quantam blaſphemiarũ, iniquitatis, malorumq. omnium lernam in ſe complectatur atque contineat, planum faciundum fuit, ut excluſis illis ouis, eſſet omnibus perſpicuum, quanta ſub hoc uno dogmate, quo liberum voluntatis negatur arbitrium, lateret impietas, quam detectam & cognitam mũdus deteſtaretur ac fugeret. Vnde intelligi poteſt, quò illorum cõſilia ſpectent, imò quid per illorũ fraudes & impoſturas Satanas efficere conetur, nimirum ut nobis ſcripturæ ſanctæ lumen eripiat, ut fidem ipſam ac religionẽ euertat, ut Deum ipſum e medio tollat, ut humanũ genus funditùs perdat. O miſeros homines! imò furioſos & inſanos, qui ſe ita Satanæ miniſterio dediderũt, ut ex illius imperio atque præſcripto linguas ſuas nõ ſolùm in humani generis peſtẽ

atque perniciē,ſed etiā in ipſius Dei contumeliam ſacrilegio impiæ uocis armauerint. Miſerabilis quidem primus ille ſerpens, cuius opera Satanas ad protoplaſtos decipiendos atque fallendos quondā abuſus eſt. Maior tamen iſtorū calamitas, quos inſtar colubri terrę defixit affectus: Repunt igitur humi, nec unquā à terra, in quā omnem ſpem atque fiduciam abiecerunt, oculos erigunt, ſed pecudum more uiuētes, imò pecudibus deteriores, nullam iuſtitiæ mercedē; nullū præmium expectant. Ita homini tanquam pecudi nihil niſi corporis uoluptatem eſſe propoſitam exiſtimāt, hanc illius eſſe felicitatem, hoc propè ſummū bonum. Mentior, niſi quotidie uidemus maiorē gregis ueſtri partem humi repentem terræque defixā in Atheorum, & Epicureorum caſtra tranſire, ac fidei deſertores cæleſtibus bonis terrena præferre. Non eſt igitur mirum, ſi homines mente capti planeq. furioſi, in tantū crudelitatis ac ſæuitiæ proruperunt. Primùm immanitatis tyrociniū illis fuit, in ipſum Deū caninā exercere facundiā. Hinc ne ſibi quidem pepercit impietas, exinde in nos quondam ſuos fratres, amicos, propinquos, ſocios, cōtubernales omni ſęuitiæ genere bacchantur. Ita gradatim in omne hominum

genus proceſſit immanitas, quam omnium uitiorum facinorumq́ue licentia ubique comitatur, adeò ut ſi philoſophos illos gentiles, quos Apoſtolus in reprobũ ſenſum traditos fuiſſe dicit, cũ iſtis cõferas, boni atque integri illi fuiſſe uideantur. Iſtis enim homines, & quidẽ inſontes, crudeliſſimè occcidere, uel uirtus, uel ludus eſt. Quid de rapinis? quid de ſacrilegiis tẽplorũq. direptionibus dicã, quas iſti pietatis loco ducunt? Inter catholicos uitia quædã eſſe non nego, ſed nemo eſt adeò furioſus ac demens, ut cædes, furta, rapinas, ſeditiones, & in magiſtratus rebelliones uirtutis loco ducat, aut cuiquã honeſtũ licitumve aliquid eiuſmodi eſſe dicat, & ſentiat. De ueſtrę ſcholæ putidiſſimis fontibus iſta manarũt: Hæc ueſtri miniſtri cõtra uerbi Dei auctoritatẽ atque ſententiã, quo furta, cædes, rapinæ, ſeditiones, & omne cupiditatis genus apertè prohibetur, docẽt atque defendunt. De quibus quid aliud dicã, quàm id, quod Apoſtolus de quibuſdã grauiſſimè ſeueriſſimeq́. pronunciat? Qui cùm iuſtitiam, inquit, Dei cognouiſſent, non intellexerunt, quoniam qui talia agunt, digni ſunt morte; non ſolùm qui ea faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus. Quid? quòd iſtorum eò uſque proceſſit audacia, vt

Rom. 1. (margin, beside "les, quos Apoſtolus…")

Rom. 1. (margin, beside "uiſſimè ſeueriſſimeq́…")

quos huiuſcemodi facinoribus criminibuſq. deditos ultimo ſupplicio affici æquum erat, eos ſolos pios, eos religioſos, reformatos, Dei denique filios dicunt. Sed cuius Dei, ipſi uiderint, certè ueri illius Dei, qui cælum creauit, & terrã, qui ſolem ſuũ oriri facit ſuper bonos & malos, qui ut eſt optimus, miſericors, hominumq. præcipuus amator, ita furta omnia, rapinas, latrocinia, ſeditiones, iniuſta bella, cæteraq. eiuſmodi, quæ ueſtri ſymmyſtæ palàm exercent, ſummoperè deteſtatur, filios eſſe non poſſe certũ eſt. Cùm enim & in Deum, & in hominem tam impiè contumelioſeque iam dixerint, quid aliud reſtat, quàm ut ij tanquam deſperati, in omnium facinorum ſcelerumq. licentia & furore bacchẽtur? Rectè ait Sapiens: Impius cùm in profundum peccatorũ uenerit, contemnit. Neque enim ulla exhortatione mouetur, neque ullo ſermonis genere, quo ut peccatum ſuum deſerat, admonetur, ab impietate reuocatur. Si eſſent Dei filij, certè bonitatis ac miſericordiæ illius ſequerentur exẽplũ. ſi eſſent Dei Apoſtoli, profectò per eadem humanitatis, modeſtiæ, humilitatis, manſuetudinis ueſtigia graderentur. Quæ cùm ita ſint, cæcus eſt qui illius factionis atque doctrinæ, ex qua tanquã ex equo Tro- *Prov. 18.*

iano tanta malorũ turba proceſſit, malitiam impietatemque non uidet. Quid enim Dei uerbo tã repugnans atque contrariũ, quàm illorum dogmata? quid Chriſtianæ fidei ac religioni tam inimicũ & aduerſum, quàm illius perditiſſimæ factionis improbitas? Cùm igitur tantã malorũ omnium lernam in ipſo ueſtræ cõtra liberum arbitrium doctrinæ ſinu foueri intelligam, eamque non ſolum cum Dei uerbo, ſed etiam cũ ratione, experientia, fide ſanctorum, antiquitate ſententiiſq. doctorum pugnare perſpiciam, ignoſce mihi, ſi adeò fatuus ac demens eſſe non poſſum, ut tam impium nefariumq. doctrinæ genus pro ueritate amplectar. tu quoque ſi ſapis frater, eam deſeres, atq; ex illis fluctibus eoq. naufragio, quo tã multi pereunt, enatabis. Veniat tibi quæſo illud in mentẽ, quàm turpe tibi ſit, id de Deo meo dicere, quod ſine horrore audire, ſine pudore referre nõ poſſum; Deum auctorem eſſe peccati, Deũ adeò iniquum eſſe, ut hinc peccata ſeueriſſimè puniat, inde uirtutibus prẹmia nulla conſtituat. Quæ cùm ex te audio, quanto putas me propter impiæ uocis audaciã pudore ſuffundi? Quid cùm tuam inſuſceptæ ſententiæ, qua immortale uirtutibus atque pietati bellum indixiſti, pertinaciam

ciam improbitatemq́ue conſidero? Quid opus erat de operum merito ac dignitate cõtendere, orbemq́ue terrarum tanta contentione turbare? Nonne ſatis erat bona opera meritoria eſſe intelligere, hominiq́ue non ſolùm utilia, ſed etiam neceſſaria eſſe cognoſcere? Tanta certè, ſi ſcripturæ fidem habemus, eorum utilitas eſt, ut iis, qui ea fecerint, Deus præmium reddat æternum. Quid mihi opus eſt ſcire, utrum ea tanti æſtimanda ſint, an pluris minoriſue, quàm ipſum cælum, cùm nõ ignorem, iis qui ea fecerint, regnum cælorũ eſſe promiſſum? Quid mea refert, num Deus iis tantam mercedem aſſignans, ultra iuſti pretij dimidiũ decipiatur an non, cùm hoc pactum atque conuentũ illi placere cognoſcã? ea certè opera, pro quibus tantam mercedem ſe redditurum Deus eſſe promiſit, homini debent eſſe cariſſima: Cùm igitur quempiam uidero uirtute præſtantem, eum tanquam in cælo paulò poſt regnaturũ, iure meritoq. ſuſpiciã. Quapropter illas cõtentiones & rixas prætermittere facillimũ nobis erat frater, ſi eo, quod è puriſſimo ſcripturarũ fonte hauſtum ab Eccleſia ſumpſimus, uoluiſſemus eſſe cõtenti, neque tantæ litis, quæ ad ſolã bonorũ morum euerſionẽ pertinet, turbinem excitaſſemus.

Noſtra

Noſtra certè eccleſia huiuſcemodi contentiones deteſtatur ac dãnat. Fides noſtra ſim plex eſt ac facilis intellectu, neque quicquã eſt, quod uos ab illius ſuſceptione impediat & retardet, niſi ſola incredulitas ueſtra. Hęc enim uos omnia Dei uerba, omneſq. ſcriptu ræ ſententias amplecti nõ patitur. hæc agit, ut ea tãtum quæ ueſtris opinionibus affectibuſq. conueniunt, approbetis. Porrò ſi nõ ex parte, ſed ex toto Chriſtianus eſſe uis frater, à te peto ut totum intellectum tuum in obſequium fidei Chriſtianæ captiues, eique ſubiicias. Itaque cùm ſcriptura hominẽ & apetitui ſuo dominari, & uoluntatis ſuæ poteſtatem habere pronũciat, noli repugnare, ſed tantæ auctoritati cedens, liberum uolun tatis arbitrium confitere. Cùm hinc liberi arbitrij uires ad boni operis executionẽ abſque Dei gratia non ſufficere, inde credenti cum gratię Dei auxilio nihil impoſſibile eſſe ſcriptura denũciat, crede, utrãque uerã eſſe ſententiam, hominemq. tali auxilio ſubleuatũ, aliquid boni pręſtare poſſe ne dubites. Rurſus cùm audis tantam carnis ſpiritui repugnantis eſſe uim, tantos impetus, vt hominem ad peccatum uideatur impellere, uerũ id eſſe perſuaſus, Deũ ut tibi auxilio eſſe dignętur ne in tentationẽ incidas, roga. Con-

trà

trà cùm adeò fidelem eſſe audis, ut neminē tētari patiatur ſupra id quod poteſt, hoc ita ſe habere intelligens bono animo ſis. Porrò cùm hinc opera noſtra futuræ gloriæ condigna nō eſſe, inde iis qui ea fecerint, maximū in cælo præmium repoſitum eſſe intelligis; ſic utriuſque ſententiæ ueritatem amplectere, ut & Phariſaicum ſupercilium fugiēs, de bonis operibus ac uirtute nō efferaris, & ad ea gerēda lætus atque alacer ſpirituales illas veraſq. diuitias tibi ſtudioſiſſimè compares. Et quemadmodum omnibus fidei Chriſtianæ articulis aſſentiris, fidemq́. habes, ita ſimul omnia Dei uerba complectere, ut nō ex parte ſed ex toto Chriſtianus ac fidelis eſſe uidearis. Noli igitur hunc diuinæ ſcripturæ locum, ut illi fidem habeas, euertere, ſed potius utrumque concilia, quemadmodū nos facere conſueuimus. Quod ſi feceris, in negotio fidei inter nos ilicò pax ſequetur. Sin minus, cōciliari nullo modo poſſumus. Conditiones pacis ęquiſſimas adfero. Nihil enim aliud poſtulo, niſi ut Dei uerbis omnibus credas: hoc ſolū à te peto, vt Deū bonū, iuſtum, miſericordem, hominum amatorem, non peccati authorem, non mali cauſam eſſe fatearis. Hoc ſi de Deo credas, eccleſiæ catholicæ quondā matris tuæ fidem ſcripturæ

ſanctæ auctoritati non repugnantem & contrariã, quemadmodũ impoſtores illos tuos ſecutus antè dicebas, ſed & rationi cõſentaneam, & Dei uerbo cõgruentem, & ipſa ueritate ſubnixam eſſe cenſebis.

Sed quoniam è uadoſis locis enauigauit oratio, & aduerſariorum fraudibus, mendaciis, erroribuſque detectis, ueritatis lumen oſtendimus, redi quæſo in uiam, damnatoq. errore in arcam Noë, id eſt, in eccleſię Romanæ ipſiuſque Apoſtoli Petri domicilium regredere. Vt enim eos omnes qui extra illã arcã olim inuenti ſunt, cataclyſmus abſumpſit; ita hoc errorũ inundante diluuio, quo nunc propè demerſa ſunt omnia, quicũque catholicæ eccleſiæ tutiſſimam nauem deſeruerint, ij fluctibus illis obruti pereãt neceſſe eſt. Hęc enim ſola inter procellas ac turbines mundi multorumq. naufragia iactari poteſt, obrui nõ poteſt. Hæc ſola nõ modò tyrannorũ impetus uimq. perfregit, ſed etiam hæreticorum calliditatem fraudeſq. deuicit. Quæ cum ita ſint, etſi pro huius eccleſiæ defenſione nonnulla tibi in ſuperioribus literis ſcripſi, illud tamen me rectiſſimè additurum eſſe confido, Romanam eccleſiã, eamque ſolam, Chriſti eccleſiã eſſe, quæ in æternum manſura eſt. Quam enim aliam dabis,

quæ

quę in una eademq́. fidei regula ſemper immobilis atque inconcuſſa permanſerit? Obganniant licet illæ ueſtrorū impoſtorū uulpeculæ, latrēt ut uidebitur illi ueſtri Scyllæi canes, ipſa certè experiētia rerum magiſtra eius æternitatem oſtendit, quā uſque ad noſtram ętatem circumlatrantibus omnibus illius inimicis ſtare perſpicimus. Hæc ſola iam amplius mille quingentis annis ſtetit immobilis. Quis hanc quæ inter tot procellas ac turbines, inrer illos fluctus, & maximas tempeſtates, quibus tot ſæculis iactata eſt, tā diu ſtare potuit, ſupra firmiſſimam petram fuiſſe fundatam, quis optimè extructam eſſe iam dubitet? Apoſtolus certè Paulus me in huius eccleſię fide obediētiaq́. ualde cōfirmat, cùm illius ad Romanos epiſtolam legens, inprimis illum Deo gratias agere animaduerto, quòd Romanę eccleſię fides toto terrarū *Rom. 1.* orbe percrebuit. Quod de nulla alia eccleſia Paulus ſcripſit aut dixit. Non ſolùm autem Apoſtolus Romanę eccleſię fidem mirabiliter laudat & prædicat, uerùm etiā illā eccleſiā ſingulari amore proſequitur. Inde ſunt illa beneuolentiæ dilectioniſq́. pleniſſima: Teſtis eſt mihi Deus, cui ſeruio in ſpiritu meo in euangelio filij eius, quod ſine intermiſſione memoriam ueſtri facio ſemper in

oratio-

orationibus meis. Non ignoro miniſtros ueſtros Geneuenſes hoc loco, Apoſtoli corrupiſſe ſententiam, dum ita diſtinguunt, ut huius uerſus extremum ſequentis exordiũ eſſe uideatur, nę fateri cogantur Apoſtolum pro eccleſia Romana, quam illi tam immortali odio proſequuntur, oraſſe. Sed duo ultima huius epiſtolæ capita legant, & quàm ardenter Paulus non ſolùm huius eccleſiæ preces ambiat, ſed etiam pro ea Dominum deprecetur, intelligent.

Sed fortè tum Paulus ita faciebat, nunc autem alia ratio eſt. Imò uerò quoniã charitas neque deficit neque decreſcit in iuſtis ubi ad cæleſtem gloriam euolarint, Apoſtoli in Romanam eccleſiam, quam ſuo ſanguine rigauit, amorem ac beneuolentiam nulla ex parte mutatam aut diminutã eſſe arbitror. Quapropter illũ aſſiduè pro illa preces fundere exiſtimo, non minus quam Apoſtolum Petrum, quem Clemens illius diſcipulus ac ſucceſſor ante mortem pollicitum eſſe ſe iugem illius in ſuis orationibus memoriam habiturum, memoriæ prodidit. Quòd ſi uera eſt illa Chriſti ſentẽtia, qua Apoſtolis quicquid à Deo patre petiuiſſent futurum pollicebatur: quis relictus eſt dubitandi locus, quin in his duobus Apoſtolorũ coryphæis

eius ſententiæ ueritas impleatur? Illorũ igitur quas non modò tum fuderunt, ſed etiã adhuc fundunt, à Deo preces audiuntur, illorum etiam nunc plurimum ualet oratio. Itaque cùm ab Apoſtolo nõ ſolum eccleſiæ Romanæ laudetur fides, uerùm etiam illa eccleſia tam ardenti ametur affectu, ut is aſſiduas pro ea preces fundat, nonne prudentius faceres ſi tanti Apoſtoli, cui Deum locutum eſſe non dubium eſt, potius quam Caluini, qui à quo miſſus ſit obſcurũ eſt, (Hoc ironicè dico, ſcio enim a diabolo miſſum eum eſſe) ſequereris exemplum? Illud certè concedes, inter hos duos minimè cõuenire. Ille ſiquidem eccleſiam Romanam ſingulari amore, hic immortali odio proſequitur. Ille pro ea preces fundit, hic eam conuiciis appetit. Ille Romanam fidem laudat & prædicat, uos Caluinum ſecuti, eam uelut falſam impiamq. damnatis. Quæ cum ita ſint, longè æquius eſſe arbitror, tantæ auctoritati credentem me in huius eccleſię caſtris perſeuerare, quàm transfugam factum perditæ factioni, quæ quod Apoſtolico ore laudatum eſt, uituperat, me adiungere. Cùm igitur fidem noſtram cum diuinis literis omni ex parte congruere ſatis copioſè monſtrauerimus, quàm impiè nefarieque eam oppugnas tuis literis, quantoq. in errore, ac ueritatis

ignoran-

ignoratione uerſeris, perſpicuum eſt. Itaque reſtat ut palinodiam canas, omnibuſq. mendaciis, conuicijs, plaſphemiis, quibus ſanctum eccleſiæ nomen infamare conatus es, tuo ore damnatis, ad ſalutare illius gremiũ redeas, eam matrẽ agnoſcas, ei pareas, eius legibus libenter obtemperes, ut de cæteris quoque controuerſijs, quibus adhuc illam aduerſarij oppugnãt, ſalubriter inſtrui poſſis. De libero autem uoluntatis arbitrio, & meritis operum ſatis multa iam diximus, ex quibus quæ ſit hac in re noſtræ fidei ueritas, facilè intelliges. Quòd ſi aut tu aut quiſquã ueſtrorum miniſtrorum aliquid contra dicendum putat, faceſſant conuicia, ut humanitatis ac manſuetudinis ſpecie ueritatẽ nos inueſtigare doceamus. Idem quoque quem hic obſeruauimus, ordo ſeruetur, ne rerum ſententiarumq. confuſio tenebras pariat. Id ſi ita factum abs te fuerit, me tibi reſponſurum eſſe polliceor. Sed ſat ſcio nihil ab illis melius, nihil probabilius adferri poſſe ijs quæ tuis expoſita literis pro noſtra mediocritate deteximus, in lucemq. prolata confutauimus. Quod ſi fortè illorum ſophiſmata, captiunculas, argumentandiq. uicia ſtatim uidere non potes, hæc noſtra ſæpius lege, & tandem fieri non poterit, quin illorũ calliditatem fraudemq. perſpicias. Qua per-

ſpecta & cognita, ſi illos impoſtores adhuc ſequeris, illiſq. adhibes fidē, ueriſimile eſt te eſſe mentis emotæ, à Deoq. derelictum in reprobum ſenſum incidiſſe. Certè fraternus amor me in hac reſponſione tantum laboris ſubire coegit, ut tibi familiariter & fidei noſtræ ueritatem, & erroris tui uanitatē oſtenderem. Quòd ſi tibi perſuadere nō poſſum liberum in nobis eſſe uoluntatis arbitrium, nihil opus eſt ut mihi de cæteris rebus, quæ in fidei negocio inter nos controuertuntur, aliquid ſcribas, quod te in extremis tuis literis facturum eſſe promittis. Nam ſi mihi deeſt liberum uoluntatis arbitrium, nō mihi ſed Deo ſcribe, illiq. me libero arbitrio priuatum eſſe perſuade, ut is operetur atque efficiat in me & uelle & perficere. Nam ei qui liberum non habet uoluntatis arbitriū, ſuperuacuum eſt ſcribere, & quicquam perſuadere conari. O quàm miſeret me tui frater, cùm te ſublato libero uolūtatis arbitrio hæc ſcribere & polliceri uideo, illudq. quod uerbo negas, facto per totam epiſtolā tacitè confiteri, nec ad extremum uenire potuiſti, quin liberū arbitriū, quod tota illa epiſtola tua conabaris euertere, confitereris. O magna uis ueritatis, quæ ex aduerſarij ſui pectore nonnunquam erumpit, illumq. ad ſui

V confeſſio-

cõfeſſionem impellit! Magno id quidem argumento mihi eſt te, mi frater, eſſe seductũ, ac intellectus tui oculos ita faſcinatos eſſe, ut quæ à cęco facilè uiderentur, ea tu uidere nõ poſſis. Quare tanto maiore in te miſericordia moueor, Deumq. Opt. Max. precor ut hoc uelũ ab oculis cordis tui ſua benignitate remoueat, ut ea quæ tibi uerſantur in manibus, ſine continuo quorum experimento ne momento quidem temporis hæc uita duci poteſt, perſpicere queas. Hęc mi frater tibi de iis duobus quæ in tuis literis refellenda ſumpſiſti, reſcribenda exiſtimaui. Laborẽ noſtrum boni conſule: quẽ ſi aliquid profeciſſe intellexero, de alijs in negocio fidei cõtrouerſijs tibi ſcribere nõ grauabor. Interea dũ tuas literas expecto, ex quibus quantum iſtius libri lectione profeceris intelligã, Deũ quotidianis precibus oro, ut mentem tuam clariſſimo ſpiritus ſui lumine illuſtret, quò agnita ueritate rectum ſalutis iter teneas, & ad illã Sion cæleſtem Chriſti beneficio peruenias, eoq. tandem modo tanquam fratres eadem fidei & dilectionis unitate concordes cum angelis cæteriſque beatis ſpiritibus Deum Opt. Max. perpetuò laudare mereamur. Amen.

FINIS.

APPEN-

APPENDIX AD LECTOREM.

DE theologicis omnibus cõtrouerſiis qui rectè iudicare uolet, eum oportet non ſolùm allegare ſcripturas, uerùm etiam rationis, quã vt ſententiæ, quæ in quæſtionem uenit, qualitatem ritè examinemus, Deus in cordibus noſtris accendit, lumen adhibendum eſt. Quanquam enim ab utraque parte ſcripturarum ſententiæ proferantur, neque ſolum noſtri, uerùm etiã aduerſarii ſe uerbi Dei auctoritate niti uideri uelint, cõcluſiones tamẽ, quas ſcripturę uerbis atque ſententiis utraq; pars probare conatur, inter ſe pugnãt ſuntq. contrariæ. De quibus rectè iudicandi uiam ſatis planam, expeditamq. rationem in hoc libro tibi oſtendi. Cùm igitur aliqua ſententia, cui probandæ ſcripturarum profertur auctoritas, in Dei ſiue contumeliam ſiue blaſphemiam uergit, non eſt dubium quin à maligno ſpiritu antitheo illo erroris atq; impietatis auctore profecta ſit. Nec mirum eſt ſi aduerſarii errores ſuos ſcripturarum allegatione prætexunt. Quo enim alio modo fieri

poſſet ut inter Christianos aliquid noui pro
baretur? Finis igitur ac ſcopus, propter quẽ
ſcriptura profertur, totum negociũ euertit.
Quare ſcopũ quem ſibi allegator ille præfi-
xit, & quid ex eo ſequatur, diligenter atten-
de. Vt uerbi cauſa, ſi quẽ dixeris iniuſtè cæ-
dem admiſiſſe, ſequitur illũ eſſe homicidã;
ſi quis prodidit ciuitatem, eum proditorem;
ſi fecit iniuriam, iniuſtũ eſſe cõſequens eſt.
Ita ſi cædes illa quã Dauid admiſit, Deo at-
tribuitur, Deum homicidam eſſe dicemus, ſi
Deus ea quæ fieri nullo modo poſſunt, ho-
mini præcipit, & eũ qui imperata nõ fecerit,
nihilominus ſupplicijs afficit ſempiternis,
magnũ in illũ crudelitatis ac ſæuitiæ crimen
admittit. Conſequens eſt igitur Deum eſſe
crudelem, tyrannum, immanem, ac trucem.
Qui itaque ſcripturarum uerbis atque ſen-
tentiis eò abutitur, eaſque ad hoc profert ut
Deum in homines talem eſſe probet, qualẽ
eum iſti faciunt, is in Deum impia uoce bla-
ſphemans diuinas literas nõ bene intelligit,
ſed ad ſuam impietatem perfidiamque de-
torquet. Talis eſt in liberum arbitriũ error,
talis impietas. Sed fortè nimis urgeo. Neq;
enim hic aduerſarii in Deum aperta liberta-
te blaſphemant. Eſt illis adhuc nonnihil ue-
recundiæ: Non dicunt Deum eſſe iniuſtũ,
crude-

crudelem, tyrannum, ſicarium, adulterum, proditorē. Fateor uerbo iſta non ponunt, ea tamen & dicunt & docent, ex quibus aduerſus Dei nomen, & gloriā eiuſmodi blaſphemiæ conſequuntur. Qua igitur quę pòſt ab alijs excludantur, infecta, putrida, uenenata ponunt. Antecedentia ſiquidem ex quibus impiæ concluſiones inferuntur, exprimunt principale, ex quo acceſſorium nullo negocio elici poſſit, in medium proferunt. Quæ cum ita ſint, impietatē ſanè ſuam atq; blaſphemias qua uidebitur arte uerborum inuoluant, quocunque orationis genere tegāt aduerſarii, ſtudioſiſſimeq. uel celent, uel etiā defendāt. Negent ſe in Deum eſſe blaſphemos, quorū blaſphemias nemo tam cæcus eſt qui uidere nō poſſit. Quare ne ſe uerbis purgatos putent qui rebus urgentur. An nos uſqueadeò ſtupidos arbitrantur, ut non intelligamus mendacem dici quem dixerint ſæpius eſſe mentitū? ſicarium, qui hominem ſica confoderit? qui furatus ſit, furem? quem proditionem admiſiſſe dicant, eum proditorē uocari? Quæ omnia ſi de pecudibus fungiſve dicantur, conuicii loco fortaſſe non habeant; hominem certè, qui cùm aut mentitus ſe non mendacem, aut furatus eſſe diceretur, ſe non furem dici intelligeret, adhuc

uidi neminem. Iſti uerò, ſi Deo placet, nos adeò bardos ac ſtupidos eſſe uolunt, ut cùm & adulteriũ cædemq́. Dauidis, & Iudę proditionẽ nihilominus quàm Pauli Apoſtoli conuerſionẽ eſſe opera Dei dixerũt, Deum ab ijs adulterum, ſicarium, proditorem dici nõ putemus. Cùm peccata in nobis à Deo fieri, nos tamen ob ea ipſa iure puniri, cùm Dei præcepta nullo modo fieri, nulla ratione impleri poſſe, nos tamen quod ijs nõ obtẽperauerimus, ſupplicijs affici ſempiternis docuerint, cùm hæc, inquã, omnia ſic ſe habere contenderint, num erit quiſquã adeò cæcus ut Deum ab iis tyrannũ, ſæuum, iniuſtum, crudelẽ dici non uideat? tam demens ut illius diuinæ maieſtatis nomen & gloriam impia uoce blaſphemari, infamariq́ue non ſentiat? Quis aduerſariorum adeò facilis ac patiens, ut quibus illi criminibus Deum accuſant, dum eum faciunt omnis iniuriæ, peccati, ſæuitiæ, crudelitatis au̕ctorem, ea in ſe retorqueri æquo animo ferret? Nemo peccatum ſuũ libenter agnoſcit. Latrones propè in ipſo facinore deprehenſi negant, & quod libenter admiſerint, fatentur inuiti, atque inter ungulas & tormenta carnificum uix ad criminum ſuorum confeſſionẽ adigi poſſunt, propterea quòd intelligunt, ſi cædes

ac furta quorum accuſari ſunt, à ſe admiſſa eſſe fateantur, ſe tanquam fures ac ſicarios iudicũ ſententia eſſe damnandos. Quæ igitur crimina poſtquam improbi homines perpetrarunt, ſateri erubeſcunt, imò uerò pertinaciſſimè negant, ea nunc ipſi Deo quo nihil iuſtius, nihil melius, cùm ab aduerſarijs adſcribantur, ij ſe pios, religioſos, fideles, Dei ſeruos nõ ſolùm haberi uolent, ſed etiã dicere audebunt? Cui iam dubium eſſe poſſit quin eorum omnium, qui tam impia, tam ſacrilega, tam nefaria dogmata, in quibus tantæ in Deum ipſum inuolutæ blaſphemiæ latitant, patienter audiunt, oculos atque intelligentiam Dei æmulus ille cæcauerit? At uerò latrocinium iſti à ſe admiſſum confitebuntur, ſe tamen non eſſe latrones, ſeditionem à ſe concitatam, ſe tamen ſeditioſos non eſſe, hominem à ſe iugulatum, ſe tamen non eſſe ſicarios. Cùm magnam mundi partem in tantam cæcitatem, & inſaniam, ut iſta pro ueris habeant, deuolutã eſſe perſpicio, ipſe prę ſtomacho propè inſanio. Neſcio quis illorum oculis puluis iniectus ſit, certè nihil uidẽt. Quare illis quos ita cęcauit impietas, te amice lector, cordatiorem eſſe neceſſe eſt, ne in illos blaſphemiæ laqueos incidas. Quid igitur ab unoquoq; noſtrum hic

dicatur, & quid ex noſtra oratione ſit cõſequens, diligenter attenteq́; conſidera. Res hic nõ uerba quæruntur. Equidem mei officij eſſe exiſtimo in hoc elaborare, ut iſti ſua ſponte cæcati tandẽ aliquando clauſos oculos aperiant, & quid iis impoſtores illi perſuadere, imò uerò falſa religionis ſpecie in quantum impietatis ac blaſphemiæ barathrum eos præcipitare conentur, aſpiciant. Si regulas à nobis ſuperius expoſitas obſeruare uolueris, omnibus argumẽtis, quæ aduerſus liberum uoluntatis arbitrium, & bonorum operum meritum obiici poſſunt, facilè reſpõdebis, ut cùm aduerſarii ſcripturæ diuinæ auctoritatẽ obiiciunt, qua cor Pharaonis à Deo induratũ fuiſſe dicitur, ueniat tibi in mentem alio ſcripturæ loco dici Pharaonem ipſum indurasse cor ſuum. Quare utrunque locum ſuſcipiens & amplectens, in hac obduratione Deum & hominem cooperari crede, Pharaonem ut cauſam efficientem, Deum ut permittentem, illique ob admiſſa peccata gratiã ſuam iuſtiſſimè ſubtrahentem. Cur autẽ ad hunc modũ ſcripturã interpretamur? Videlicet ne aduerſariorum ueſtigiis inſiſtentes, in diuini nominis blaſphemiam incurramus. Quod haud obſcurè fieret, ſi indurationis Pharaonis præci-

puam

puam atque efficientem cauſam diceremus Deum. Vtri autem ſcripturam nelius interpretentur, nosne an aduerſarij, ipſe nunc iudica. Scriptura hinc Pharaonem accuſat, quòd cor ſuum obdurauerit, (contrà Deus clamat, & ne cor noſtrũ obduremus hortatur) inde cor Pharaonis à Deo induratum fuiſſe pronunciat. Quæro nunc utrũ e duobus magis ſit gloriæ Dei conſentaneum atque conueniens, cùm hanc cordis obdurationem utrique tam Deo quàm Pharaoni ſcripturæ adſcribat auctoritas, Deum an hominem tanti mali cauſam exiſtimare præcipuam. Qui Pharaonis cauſam agunt, Deũ primam atque præcipuam, Pharaonem ſecundam huius mali cauſam fuiſſe contendunt. Ita non ſolùm Deo improbum atque impium hominem anteponunt, ſed etiam ut huius improbitatem excuſent, Deum accuſant. Quare aduerſariorũ furorem & inſaniam, qua improbiſſimo homini, populi Dei inimico & perſecutori non obſcurè fauent, imò hominẽ impuriſſimum Deo præferunt, iure meritoq. deteſtor, nec dubium eſt quin omnes boni mecũ idem ſentiãt. Illi ergo ut Pharaonẽ purgẽt, Deũ accuſant: nos contrà Dei gloriæ ſeruientes, Pharaonẽ accuſare malumus, nec improbum hominem

melio-

meliorem Deo facimus. Pharaonem igitur primum ac præcipuum ſuæ obdurationis au ctorem fuiſſe, Deum ſecundam illius mali cauſam dicimus. Ita neque in Deum impiè contumelioſi ſumus, neque ſcripturã euertimus, quæ Deum negat auctorem & tentatorẽ eſſe peccati. Illas ergo regulas ſi ſequaris, omnibus eorum allegationibus facile reſpondebis.

Accipe alterum exemplum. Aduerſarii ut liberum tollant uolũtatis arbitrium, Dei prædeſtinationẽ nobis opponũt. Sed quàm vanum ac ſophiſticum ſit eorum argumentum, hinc intelligitur, quod eodem modo probari poteſt, neque protoplaſtum, neque angelos, neque Chriſtum, neq; Deum ipſum libero arbitrio præditum eſſe. Cui enim dubium eſt, quin & Adæ peccatum, & quicquid angeli egerunt, & quod ipſe Chriſtus fecit, & quicquid Deus ab omni æternitate diſpoſuit, ipſe præſcierit? Ex quo ſecundum iſtos conſequens eſt, libero in ijs omnibus arbitrio nihil relinqui loci. At id falſum eſt. Vicioſa igitur eſt illorum argumentatio. Quid quòd ipſi ſententiam ſuam oppugnant & euertunt? Adamum enim ante primum illud & originale peccatum libero arbitrio præditum fuiſſe non

negant,

negant, ſed tum demum cùm ille peccauit, amiſſum fuiſſe contendunt. Quod ſi ille minimè peccaſſet, integram, ut iſti dicunt, liberi arbitrij facultatem retineremus. Atqui tum Deus rerum futurarum non fuiſſet ignarus. Prædeſtinatio igitur liberum non tollit arbitrium. Quis cæcam iſtorum non miretur inſaniam, qui cùm ſententiam noſtram oppugnare ſe exiſtimant, euertunt ſuã? Sed ut unde digreſſa eſt, eò reuertatur oratio, duas illorum qui liberũ arbitrium negãt, illuſtres animaduerto ſententias. Prima Lutheri eſt, qui nos pecudũ in morẽ, omni liberi arbitrij parte ita priuat & ſpoliat, ut neque boni neq; mali quicquam facere poſſimus. Sed ei Caluinus obſiſtit, qui illud ad peccatum ſolum ualere contendens, quodãmodo diuidit. Atqui ſi id agit prędeſtinatio, ut liberi arbitrij uis ad bonum nihil ualeat, ne ad malum quidem aliquid poteſt. Niſi fortè bona opera præuidere Deus potuit, mala non potuit. Vides igitur aduerſariorũ argumentationẽ ſophiſticam eſſe? Atq; utinam omnes ad examinandas illorũ opiniones, argumentationes, errores, hac ratione uiaq. procederent. Nulla enim ſcientia ſolidior, nulla cognitio certior ea quæ arte & methodo comparatur & nititur. Hæc ſiquidem

dem

dem animum hominis, cuius pabulum eſt ueritas, quiq. ſimulac ad ueritatis adytũ, certa ratione uiaque peruenit, ſingulari gaudio effertur, naturali quadã iucunditate perfundit. Ego uerò ut tibi quod ſentio ſimpliciter ingenueq. cõfitear, hanc uiam atque rationem, quæ mihi tantum profuit, ut ex iis quę per eam didici, maiorẽ quàm ex aliis omnibus quæ antè didicerã, cœperim uoluptatem, tibi commoſtrandam putaui. Neque uerò ullius libri lectione mihi opus fuit, ut ea omnia quæ ad refellendas aduerſariorũ argumẽtationes, & elidendos illos errores, à nobis in noſtra confutatione prolata ſunt, quaſi aliunde haurirem, ac mutuò ſumerẽ. Illa enim ars ac methodus quam ſequebar, ſingulis aduerſarij ſiue argumentis, ſiue ſcripturarum allegationibus admota, maiorem mihi quàm uellem argumentorum copiam ſubminiſtrabat. Nullo igitur libro mihi opus fuit, niſi tum, cùm antiquorum patrũ teſtimonia, ſentẽtiaſq. produxi. Mirantur ſanè nonnulli me, quod aliis familiare eſt, librorũ meorũ marginem ſcripturæ diuinæ citationibus, patrumq. nominibus non refercire: ſed in componẽdis libris nihil mihi uidetur moleſtius, nihil grauius, quàm cum eiuſmodi citationes, quibus colligendis alij nõ mo-

dò

dù ſatis elaborarũt, uerumetiã propè omnia referſerunt, mihi hincinde ſumendæ ſunt. Itaque Lectori plus utilitatis & cõmodi me allaturum eſſe confido, cùm ei rationem ac uiam qua non ſolùm de citatione ſentẽtiaq́. ſcripturæ rectè iudicet, uerum etiam illa bene exponat, oſtendo, quàm ſi ſexcẽtas eiuſmodi ſententias tantùm in medium producerem. Et ſanè una ſcripturæ ſentẽtia rectè prolata, & à rationis lumine non abhorrens, plus ad illuſtrandam ueritatem ualet, quàm plurimæ rhapſodiarum in morem ſine iudicio temerè hinc inde collectæ. Neque uerò hæc eò dicta ſint, ut aliorum labores uituperem, ſtudiumq. reprehendam. Sed tamen hæc cùm ad docendum, tum etiam ad perſuadendũ nõ ſolùm expeditior uia, ſed etiã efficacior ratio uiſa eſt, ut artem quãdam ac methodũ ſecuti, quod è ſcripturarum fonte proferimus, rectè atque ordine collocemus. Sic enim accepta uel una ſentẽtia ad aliarũ omnium intelligentiam non modò uiã munit, ſed etiam de iis rectè iudicandi ſuggerit facultatem. Vnde autem exiſtimamus inter ſcribentium allegationes, nouatorumq́. ſententias ueritatem inuolutam latere, & quaſi Labyrintho incluſam exire nõ poſſe? Certè ab utraq; parte ſcripturarũ teſtimonia proferuntur.

feruntur. Nõ ergo de ſcripturæ ſentẽtiis error naſcitur,ſed de iis cõcluſionibus,quę ex ſcripturæ ſententijs nõ rectè ſumuntur.Magna uerò & pœnè tota uis in eo ſita eſt,cùm aliquid inferre uelis, intelligere utrum id ex ſcripturæ ſententia neceſſariò inferri poſſit an nõ. Hoc opus,hic labor eſt. Qui hoc præſtare poteſt, is per omnium allegationum labyrinthos,ut alter Dædalus, abſque ullo impedimento ſaluus euadet. Nec ſanè minoris aut laboris, aut difficultatis eſt, ſeſe ex iſtis hæreticorum argumentationibus extricare, quàm olim ex illis Labyrinthi mæandris euadere.Hoc igitur eſt quod lectorem in his noſtris libris diſcere cupio, hoc unum illius menti imprimendũ puto,ut hanc artẽ atque rationẽ intelligens, ea commodè poſſit uti. Hãc in noſtris opuſculis Lector inueniet,faceſſat inuidia. Neque enim hæc à nobis eò dicta ſunt,ut nos ipſos iactare,cæteriſq. præferre uideamur, ſed ut lectorẽ ad eã artẽ ac methodum, qua paſſim uti poſſit, ſibi cõparandam hortemur. Mens hominis non niſi certis rebus poteſt eſſe contẽta.Quapropter illum in omni argumẽto atq; materia, quid cum certo rationis ac probationis neceſſario concludentis fundamẽto dici poſſit, uidere neceſſe eſt. Equidem niſi eiuſmodi rationes

occurrant,acquieſcere nullo modo poſſum: quæ cùm occurrunt,eas audacter ſanè defendo.Sed hæc hactenus.Aliquãdo enim,ſi Dominus uitam dederit, de hac arte ac methodo,qua dudum uſi ſumus, & adhuc utimur, librum nos edituros eſſe confidimus. Sylua iam cæſa eſt, ac parata materia, neque nunc aliud ad ædificium exſtruendũ niſi tempus atq; ocium quærimus. Duas igitur argumentandi rationes habemus, quarum una è ſcripturæ fontibus, altera ex ipſa naturæ rationiſq́. demõſtratione ſumitur. Huic philoſophiæ Chriſtianæ, illi priorem ipſius artis librum dedicauimus. Id enim nobis hoc tempore propoſitum eſt, ut ea colligamus quæ ad illuſtrandam naturalibus rationibus fidem, illaq́ue quæ Chriſtiana fides Dei uerbo nixa tradit ac docet, naturaliter comprobanda, quoquo modo ualere poſſunt. Audax facinus, dicet aliquis. Noſtrum tamen ſtudium irritum non fuit. Multæ ſiquidem eiuſmodi rationes atque optimæ nobis occurrunt.Quarum ut tibi guſtum aliquem demus, illud hoc loco planum faciemus, ex bonorum operum natura, non ſolùm animæ immortalitatem, uerumetiam remunerationem noſtram, ac præmium, eſſe uitam æternam ac beatam, Deumq́ue ipſum

immor-

immortalem, æternum, omnipotentẽ oſtendi. Quæ omnia tametſi diuinæ literę tradũt, in quibus luculẽter & iuſtis ęterna uita promittitur, & uia qua ad æternam illam beatitudinem perueniri poteſt, præceptorũ Dei obſeruatio eſſe monſtratur, & Deus immortalis, æternus, impaſſibilis prædicatur, ea tamẽ quibus diuinæ literæ nihil apertius prodiderunt, quidã ex aduerſariis confiteri nolunt. Melanchthon enim & Caluinus, eorũq; diſcipuli, contra clariſſimã uerbi Dei lucem, bonũ aliud neſcio quod, ſiue corporale ſiue ſpirituale uirtuti ſuæ propoſitum præmium eſſe finxerunt. Qui cum innumerabilibus ſcripturæ teſtimoniis, ex quibus ſuperius nonnulla produximus, conuicti, mercedem quandam bonis operibus deberi negare non poſſint, quæ ſit illa merces, quod præmium, non exponunt. Ita illi quidem hærent in uado.

Nobis autem nõ modò ſcripturarum teſtimonia, uerumetiam certæ rationes ſunt, quibus demonſtremus planumq́. faciamus, bonorum hominis operũ æternam eſſe mercedem, alias numquam futurum eum beatũ, & quemadmodum æterna mala ſuppliciaq́ue peccatis, ita æterna infinitaq́. bona operibus conſtituta eſſe uirtutum. Sed mirum

eſt

eſt aduerſarios (qui Dei miſericordiam atq; bonitatem adeò prædicant & extollunt, ut illius ſeueritatẽ ac iuſtitiam aut tollere, aut certè obſcurare uelle uideãtur) hic eſſe tam timidos, ut quod ſcripturis manifeſtiſſimè proditum eſt, dubitent confiteri: præſertim cùm Deum, quem adeò miſericordem, ac benignum faciunt, in peccata tam ſeuerum, ut improbos ſupplicijs afficiat ſempiternis, eſſe fateantur. Sed hæc iam miſſa faciamus, noſtraſque demonſtrationes ordine collocemus.

Virtutis præmium aliud quàm uitã, gaudium, bonaq; æterna eſſe non poſſe, naturalibus argumentis probatur. Quæ ut facilius Lector intelligat, mathematicorum in morem, propoſitionibus explicantur.

PRIMA PROPOSITIO.

BOna opera ei qui illa fecerit, utilia eſſe neceſſe eſt. Alioqui uana eſſent, & illo nomine indigna. 1

Conſequens eſt igitur, quoddam præmiũ tanquam fructum, propoſitum eſſe uirtuti. Vt enim ex arbore poma naſcuntur, ita ex uirtute fructum aliquem, illi à quo uirtutis actus producitur, profuturum naſci exiſtimandum eſt. 2

3 Virtutis autem fructum nõ modò bonũ, ſed etiam optimum eſſe neceſſe eſt.

4 Quod autem uerè bonum eſt, ei in quo eſt, ſuapte natura, & conditione lætitiam animiq́. tranquillitatem adfert.

5 Quod enim ſuapte natura triſtitiam animique ægritudinem adfert, id uerè bonum appellari non poteſt, ſed potius malum.

6 At quicquid uerè bonũ eſt, id natura appetendum eſt. Vt enim ait Ariſtoteles, homines naturaliter omnes bonum appetunt. Homini igitur uerum bonum naturaliter appetendum eſt.

7 Omnis autem aut uerus aut falſus timor amittendi, uerum ac noſtrum bonum quod amamus, ſuapte natura dolorem parit.

8 Quicquid igitur eiuſmodi metum inducit, non ſolùm boni nomine indignum, ſed etiã odio proſequendũ, atque fugiendũ eſt.

CONCLVSIO.

EX his omnibus neceſſariò ſequitur, nullum bonum quamuis magnum & excellens, niſi æternum ſit, uirtuti reſpondens & plenum præmium eſſe poſſe.

PRO.

PROBATIO.

Omne ſiquidem trāſitorium bonū amittendi ſui certum timorem parit. quod cui uenit in mentem, is ſecuro, tranquilloq́. animo eſſe nunquam poteſt. Quanto autem maius id bonum eſt, tanto maiorem, ne aliquando amittatur, metum ingenerat. Verum autem bonum expetendum eſt. Porrò quod mordaces curas, anxiamq́; ſolicitudinē parit, id non eſt expetendū. At tēporale tranſitoriumque bonū cum appetitur, continuam ſolicitudinē, ne amittatur, ingenerat. Cui enim exploratū eſt, ſe quod habet, ſemper habiturum? Cæterum, vt Gregorius ait, non perditur ſine dolore, quod cum amore poſſidebatur. Nihil autem exploratius eſt, quam iſta temporalia bona nobis aliquando velimus nolimus auferenda eſſe. Vnde mortis recordatio iis qui huius ſæculi diuitias amant, acerbiſſima eſt. O mors, ait ſapiens, quàm amara eſt memoria tua homini pacem habenti in ſubſtantia ſua! Quæ amaritudo inde naſcitur, quòd per mortem homines ab iis quas amant, diuitiis ſeparantur. Bonum igitur temporale ac tranſitorium, propter hanc ipſam recordationem quā ſuapte natura parit, ſecumque trahit, verum bo

num haberi non debet. Virtutis ergo præmium eſſe nullo modo poteſt. Itaque qui beatitudinem æternitati negant eſſe coniunctam, ij toto cælo aberrant, propterea quòd hoc felicitatis ac beatitudinis genus, eã obtinenti nihil aliud niſi dolorem, animique ægritudinem adfert, ipſamq; beatitudinis definitionem lancinat. Eſt enim, vt ait Auguſtinus, beatitudo, ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectus. Magnum autẽ bonum eſt æternitas. Cum igitur omnia bona in vnum, vt beatitudinem efficiant, vndiq; confluunt, ſi deſit æternitas, magnum profectò bonum deeſt, ſine quo nihil plenum bonum dicendum eſt. Quapropter ita exiſtimo, ſi mihi maximum quod in cælo eſt gaudium concederetur, ea tamen lege, vt tanto illo bono non amplius quàm vno aut altero die frui poſſem; quanto illud gaudiũ maius eſſet, tanto mihi, propterea quòd tam celeriter me illo priuandum eſſe ſcirẽ, acriorem dolorem adferret. Quid enim miſerius eſt, quàm fuiſſe felicem? Quantam animi ægritudinem ſentiebat ille, cuius hæc verba ſunt, fuimus Troes, fuit Ilium, & ingens gloria Teucrorum? Miſerrimum verbum eſt, fuimus. Rectè igitur Boetius: Quid me felicem toties iactaſti, amici? Qui cecidit, ſta-

bili

bili non erat ille gradu.

Manifeſtum eſt igitur id bonum, quod humanæ virtutis futurum eſt præmium, æternum eſſe debere, quod poſſidenti non metum atque cruciatum, ſed gaudium adferat ſempiternum. Verum enim bonum ſtabilis ac perfecta lætitia ſequatur neceſſe eſt. Illud etiam eſt conſequens, eam hominis partem, quæ tanto bono perfruetur, æternam eſſe. Non enim minus is qui interitum veretur, animo cruciatur, & dolet, quàm is qui ne bona ſua eripiantur, timet. Imò verò mallet ille fortunis omnibus exui boniſque priuari, quàm interire, tantum malum eſt interitus: Igitur qui ſempiterni boni futurus eſt particeps, is æternus & immortalis ſit, neceſſe eſt.

Ex hac ſupputatione illa ſumma naſcitur, non ſolum illud bonum quod humanæ virtutis futurum eſt premium, æternum eſſe debere, verumetiam ipſum hominem, qui tanti boni futurus eſt particeps, æternum atque immortalem eſſe, vt ęterno bono non ad tẽpus, ſed in æternum perfrui poſſit. Alioqui minima ſuſpicio ac metus, ne is à tanto bono aliquando ſepararetur, facile eam vim haberet, vt tantum bonum illi malum potius videretur, animique dolorem & ægritudi-

nem adferens, boni naturam atque nomen amitteret. Illud quoq; conſequens eſt, quia homo ex ſe tantum bonum neque ſibi comparare, neq; conſeruare poteſt, eum in cuius obſequio illud acquirit, & ſibi comparat, non ſolum immortalem & æternum, verum etiam tanta potentia præditum eſſe, vt & illud bonum ab interitu immune, non ad tempus, ſed in æternum conſeruet & vendicet, & ne quis hominem, quò minus eo bono placidè ac ſecurè perfruatur, impediat. Quam potentiam ſine dubio infinitam eſſe neceſſe eſt.

Hoc igitur modo, & naturali demonſtratione ex ipſa rerum natura ſumpta, virtutis humanæ præmium eſſe uitã atque lætitiam ſempiternam, fieriq́ue nullo modo poſſe vt bonum aliquod atque commodum temporale virtutis præmium ſit, doceri poteſt. Quod argumentum in noſtris de Philoſophia Chriſtiana libris, ſi Dominus vitam & facultatem illius operi abſoluendi dederit, plenius vberiuſq́ue tractabimus. Hac interim demonſtratione, ex qua mercedem virtutis ac præmium cum beatæ vitæ immortalitate coniunctum atque æternum eſſe intelligitur, fieri non poſſe vt quoduis aliud bonum huius præmij magnitudini naturæq́ue reſpon-

reſpondeat, directè concluditur, vtendum putauimus, vt omnibus eſſet perſpicuũ quã conſentanea ſit fides noſtra non ſolum Dei verbo, ſed etiam rationi atque naturæ. Cum enim in euangelio quidam adoleſcens quæſiuiſſet à Chriſto: Quid faciam vt vitam æternam obtineam? Ille reſpondit: Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata. Quæ cùm ita ſint, non eſt dubiũ quin aduerſariorum theologia nihil aliud ſit niſi bene loquendi ſcientia, quæ ad ipſam rerum naturam atque rationem non penetrat, ſed tantum in ſermonis nitore pompaque verſatur. Qui autem ſcripturam ſacram rectè intelligere cupit, is res ipſas de quibus ſermo eſt, exactè cognoſcat neceſſe eſt, alioqui rectam diuinarum literarum intelligentiam cõſequi non poteſt. Quod etiam in alijs artibus ferè fit, in quibus qui ita ſtudium ponunt vt ſolam verborum quæ cuiuſque artis propria ſunt, ſignificationem teneant, eos in multos errores incidere videmus. Sed te, amice Lector, in hac noſtra appendice, quam huic operi adiecimus, vt ſi quid à nobis prætermiſſum eſſet, quod contra liberum voluntatis arbitrium obiici poſſet, expeditam illud refellendi rationem ad manum haberes, diutius non tenebo. Quam rationem ac methodum ſi ſe-

quaris, quicquid ab aduerſariis contrà ad
ferri poteſt, nullo negotio refutabis. Vale,
& noſtrum ſtudium ac laborem tuis oratio-
nibus ſubleua.

FINIS.

RERVM INSIGNIVM QVAE HOC OPERE CONTINENTVR, INDEX.

ABSVRDA quæ ex errore contra liberum arbitrium, & dicentium quod Deus omnia ſine vlla noſtra operetur cooperatione, ſequuntur. pag. 160.
Adiiciunt ſcripturæ hæretici. 172. 173. & ſeq.
Adiectiones ſuas ad ſcripturam ſacram, Dei verbum appellant hæretici. 175. 178.
Adonidis hortuli. 181.
Adiutoris natura. 29. 93. 94. 95. & 168.
Aduerſarij Chriſtum cum Apoſtolo committunt. 171.
Agonothetes noſter Deus. 276.
Albigenſes. 251.
Ambroſij laus. 74. teſtimonia, ibidem, & ſeq. & 252.
Amor Dei infinito præmio dignus. 266.
Ananiæ exemplum ſacrilegos terrere deberet. 42.
Apoſtolorum coryphæi Petrus & Paulus. 302.
Arca Noe eccleſia Romana. 300.
Argumentum uitioſum quale. 184.
Aſſentatio uitiorum adiutrix. 203.
Athanaſij laus. 77. teſtimonia, ibidem, & ſeq.
Athei fiunt hæretici. 293.
Atheiſmi authores hæretici. 70. 71.
Auguſtinus oſtendit, quale ſit liberum arbitrium. 17. 18. & ſeq.
Auguſtini teſtimonia. 93. & ſeq.
Auxilium Dei non tollit, ſed confirmat liberum arbitrium. 88. 89. 123. & ſeq. & 189.
BArdeſanes Valentinianus. 251.
Baſilij magni laus & teſtimonia. 87. & ſeq.
Beatitudo quid. 324.
Beatitudo æternitati coniuncta. 324.
Bernardi egregia ſententia. 262.
Beſtijs rabie percitis ſimiles hæretici. 289.
Bonis operibus cur hæretici tam infenſi. 193. & ſeq.
Bonorum operum fons, fides recta. 207.
Bonorum operum fructus. 216. 217.
Bonum temporale & tranſitorium uirtutis præmiũ eſſe non poteſt. 322. 323. & 324.
CAluini Deus crudeliſſimus. 32. & iniuſtus. 67. & ſeq. & 281.
Caluinus hæretica fide patrum teſtimonia citat. 19.
Caluini Deus ab hominibus non colendus. 165. 166.
Caluini Deus monſtrum atque portentum. 277.
Caluini impietas è tenebris eruenda, orbique monſtranda. 277. & ſeq.
Caſti cur non ſimus. 135.

Catholici ſcripturæ loca quæ pugnare uidentur, inter ſe conciliant, hæretici contra inter ſe componunt . 145. 146.
Cenſoriam virgulam ſibi ſumunt hæretici . 31. 175.
Chriſtus non habet liberum arbitrium iuxta hæreticorũ ſententiã. 176.
Chriſti beneficium quo redempti & reparati ſumus quibus in rebus cernitur . 267. & 271.
Chryſippus fati defenſor ſententiam mutare cogitur . 8. 9.
Chryſippus ſtoicæ anteſignanus inſaniæ . 60. 61.
Chryſoſtomi locus egregius, quo liberum demonſtrat arbitrium. 6.
Chryſoſtomi teſtimon. 9. & ſeq.
Cimmerias tenebras mentibus hominum offendunt hæretici . 139.
Cogere & compellere quid in ſcriptura ſignificent . 176. 177.
Cogitur etiam Deus ab homine . 178.
Confeſſio fidei hæret. in concilio Poſſiacenſi . 73.
Confutationes ſententiæ hæreticæ . 115. & ſeq.
Conuerti ad Deum . 185.
Cor in ſcriptura ſignificat voluntatem . 26.
Corporis afflictiones . 200.
Cypriani teſtimonium . 252.
Cyrilli teſtimonium . 81. & ſeq.
DAmaſceni teſtimonium . 92.
Deus, vt aiunt hæretici, peccat in homine. 66.
Deus vult omnes ſaluos fieri, exponitur . 74. 75.
Deus & natura nihil fruſtra faciunt . 161.
Deum trucem & iniuſtum faciunt hæretici . 212.
Deus punit citra condignum, & remunerat vltra condignum, theologorum ſententia . 229.
Deum diabolo peiorem eſſe fingunt hæretici . 180.
Deus uerus qualis . 284. 285.
Dei potentia infinita . 326.
Deorum portenta non numina olim euangelio corruſcante cur vulgo reiecta . 283.
Diaboli ſtudium . 279.
Doctorum eccleſiæ mirabilis conſenſus . 97. 98.
Doctrina Dei conſtans, Diaboli inconſtans . 213.
Donationis vis & proprietas . 269. & ſeq.
Doni & mutui differentia . 270.
ECcleſiæ catholicæ . 238. 239. & ſeq.
Eccleſiæ catholicæ fides. 299. 300.
Eccleſiaſtici liber in canone ſcripturæ ſacræ . 31. 32.
Epicuri caſtra . 181.
Errore nihil fœcundius . 62.
Erroris aduerſus bonorum operum mercedem abſurditas oſtenditur . 221. & ſeq.
Erroris aduerſus liberum arbitrium qui auctores . 250.
Experientia docet liberum arbitrium nobis ineſſe . 3.
FAuores ampliandi . 223.
Feſti dies à Chriſtianis obquorundam iudicum improbitatem impune violantur . 34.
Fides catholica de libero arbitrio verbo Dei cõſentanea, inter hæreſeon

extrema

extrema tanquam inter Scyllam & Carybdim cautè procedit. 17.
Fides recta bonorum operum fons, 207.
Fides noſtra ſcripturis maxime conſentanea. 237.
Fides noſtra ſimplex ac facilis intellectu. 298.
Fides noſtra quam conſentanea ſit Dei uerbo, ipſique rationi & naturæ demonſtratur. 237.
Fons ex quo hæreticorum doctrina contra liberum arbitrium & operũ merita manat & profluit. 203. 204.
Furioſi qui liberum arbitrium negant. 289.

GRadus ad Atheiſmum, 70.
Gradus quibus aſcendimus in cælum. 274.
Gratia & merces differunt. 225.
Gratiæ Chriſti uis & energia. 271. 272.
Gratiæ Chriſti contumeliam faciunt hęretici, ibidem.
Gratia Dei noſtra. 275.

HAeretica fides. 19. hæretica licentia. 141.
Hæretici cur quoſdam libros è canone tollunt. 31.
Hæretici ſimul aiunt & negant. 64.
Hæreticorum argumenta in ipſos retorquentur. 116. 117.
Hæretici ex una eademq. ſacræ ſcripturæ ſententia contraria inferunt & concludunt. 125. & ſeq.
Hæretici in principes lenones ſuos grati. 131. 132.
Hæretici Iuliano & Porphyriano ſimiles. 141.
Hæretici, quomodo ſcripturæ uerba producant. 144.
Hæretici ſe ſolos fideles uocant. 182.
Heſiodi ſententia de uirtute. 181. 182.
Hæretici argumentantur ab auctoritate negatiuè: 184.
Hæreticorum doctrina contra bonorum operum merita quã pernicioſa ſit. 196.
Hęreticorum temeritas & inſcitia. 237. 238. & 246.
Hęretici cur uirtutem non laudant. 241.
Hęretici ſe iam in cœlo eſſe ſomniant. 258. 259.
Hęreticorum miniſtri omnem omnium philoſophorum impietatem ſuperantes in reprobum ſenſum traditi. 278.
Hæreticorum miniſtri Deum diabolo peiorem faciunt. 280.
Hęreticorum miniſtri religionem Chriſtianam funditus euertere conantur. 285. 286.
Hæreticę impietatis gradus. 293. 294.
Hęretica ſchola quid doceat. 294. & ſeq.
Hęretici quomodo in Deum blaſphemi. 308.
Hęreticorum Theologia nihil aliud niſi bene loquẽdi ſcientia. 317.
Hieronymi teſtimonium. 91. & 252.
Hilarij laus. 70. teſtimonium. 188. & 252.
Hominem mortalem peioris conditionis faciunt hęretici quam damnatum. 63. 164. & 179.
Hominis cuiuſuis eſt errare. 74.
Hominem aliquid poſſe & aliquid facere. 160. 161.
Hominem qualem hęretici faciunt. 161. 162.
Homo cooperator Dei. 171. 172. & ſeq. & 180. 181.

Hominis

Hominis ingenuitas & dignitas. 260. 261. & ſeq.
Hominem ad peccatum à Deo impelli fingunt hęretici. 279. & ſeq.
Hominem ex homine tollunt hęretici. 286.
Honoris multa genera in ſcripturis. 144. 145.
Hyperbole in ſcripturis frequens. 109. & ſeq.
ILlecebra peccandi impunitatis ſpes. 131.
Ingenii vis homini data. 290.
Inſani & furioſi qui liberum negant arbitrium. 291.
Interitus maximum malum. 325.
Inutiles ſerui cur merito dicimur. 231. 232.
Inutiles ſerui ſumus Deo, non nobis. 247.
Ioannes VVicleff. 251.
Irenęi teſtimon. 85.
Ironię in hęreticos. 40. 41.
Iudicium de vnaquaque re verum vnde petendum. 260.
LEsbia regula. 141.
Liberum arbitrium quid. 62. 63.
Liberum arbitrium qui negat, catholicus non eſt Auguſtini ſententia. 18. 19. & 251.
Libero arbitrio ſublato, nullus legibus locus. 5. 6. & 61.
Liberum arbitrium poſt originale peccatum quale. 17. 18. & ſeq.
Liberum arbitrium iuxta aduerſariorũ ſententiam neque Chriſtus neque angeli habent. 176.
Liberum arbitrium diſtinguit hominem à pecude. 262. & ſeq.
Liberalitas & iuſtitia Dei. 223.
Librorum ſacrorum multitudo cur tradita. 155.
MAchometi legi hæreſis ſimilis. 203.
Maiores noſtri ſacrę ſcripturę diligentiſſimi lectores. 219.
Manichęi liberi arbitrij hoſtes. 251.
Melancthon de libero arbitrio palinodiam canit. 58.
Membrorum officia cur homini data. 290.
Mendacij natura. 3.
Merces & meritum inter ſe conferuntur. 217.
Mercedem bonis operibus deberi duobus modis conſideratur. 218.
Mercedem bonis operibus promittit Deus. 217. & ſeq.
Mercedis varietas. 225. & ſeq.
Mercede boni operis ſublata, homo pecude miſerior. 264.
Meriti uis in ſcriptura, tametſi nomen haberi falſo negetur. 220.
Meritum quid dicatur à noſtris. 228.
Μετάνοια. 184.
Methodus qua ſolida ſcientia comparari poteſt. 315.
Miniſtri hęreticorum cur pudicitię hoſtes. 47. 48.
Miniſtri hęreticorum quomodo principes decipiunt. 128. & ſeq.
Miniſtri hęret. ſe ſuo ore condemnãt. 134.
Miniſtri ſcripturę verbis ſcripturam oppugnant. 141. & ſeq.
Miniſtri hæret. Deum diabolo peiorem eſſe fingunt. 180.
Miniſtri Geneuenſes Apoſtolicæ ſententiæ corruptores. 30.
Monſtra quæ vincant, ſibi aduerſarij fingunt. 2.
Miſerum eſt fuiſſe felicem. 324.

Mortis

Mortis recordatio diuitias amantibus acerbiſſima. 323.
Munerarius ſiue agonothetes noſter Deus. 276.
NAturæ gratiæque ſymplegades. 269.
Negans ſe habere liberum cæcus iudicandus. 289.
Negantib liberũ arbitriũ duę illuſtres ſententię Lutheri & Caluini. 315.
Negligentiæ humanæ patroni hæretici. 196. 197.
Nemo ante uictoriam triumphat. 258.
Nemo ad peccatum cogi poteſt. 268. 269.
Nemo peccatum ſuum libenter agnoſcit. 310.
Nihil verbo Dei adiiciendum. 186.
Nihil magis noſtrum, quam quod nobis datum. 269. & ſeq.
Nihil Dei uerbo magis contrarium, quam hæretica doctrina. 296.
Nihil plene bonum ſine æternitate. 324.
Nobilitas hominis in dedicatoria, & fo. 160. 161. & 160. 261.
Non amittitur ſine dolore, quod cum amore poſſidebatur. 323.
Nouum philoſophiæ genus ab hæreticis ſomniatum. 258.
OPera ſine fide facta æternæ ſalutis meritoria non ſunt. 207. & ſeq.
Opera bona noſtra in ſcripturis nuſquam inutilia dicuntur. 238.
Opera noſtra cur meritoria iure dicuntur. 236.
Opera bona non debent immunda dici. 248. & 254.
Opera immunda quę. 255. 256. & ſeq.
Opera noſtra bona nobis, non Deo proſunt. 258.
Opera noſtra ſementi comparantur. 275.
Origenis teſtimon. 85. 86.
Orpheus ſiluas & ſaxa quomodo trahebat. 177.
Otioſum nihil in mundo. 160. 161.
PActus eſt Deus cum homine. 229. & ſeq.
Paulus Apoſtolus liberũ arbitriũ clariſſimè oſtendit, 44. 45. & ſeq.
Pauli ſententiam ecclesia optimè intelligit. 46.
Pauli & Caluini Antitheſis. 47.
Pauli epiſtolæ obſcuræ. 140.
Pauli ſpes de æquitate ſubnixa. 230.
Pauli Apoſtoli in eccleſiam Romanam amor. 301.
Pauli & Caluini diſſonantia. 303.
Peccatum voluntarium malum. 11.
Peccata non eſſe paria, vt Stoici ſomniant. 23.
Peccatum humanæ naturæ maximè contrarium. 200. & ſeq.
Peccata ſua homines libenter excuſant. 201. 202.
Peccata vnde. 202.
Peccatorum gradus & differentia. 265.
Petrus Apoſtolus ſe iugem in orationibus ſuis eccleſiæ Romanæ memoriam habiturum eſſe promiſit. 302.
Petrus Abelardus. 258.
Pharao quomodo induratus à Deo. 312. 313. & 314.
Pharaonis patroni hæretici Deum accuſant. 313.
Philoſophorum opera qualia. 207.
Poſtulatio æquiſſima. 133.
Præcepta iuſtitiæ amara. 203.
Prædeſtinationē Dei nobis opponunt, ut liberũ arbitriũ tollant. 314.
Principes

Principes quidam hæreticorum lenones. 131. 132.
Priſcillianiſtæ. 251.
Pſeudoprophetæ cur ſemper grati & iucundi. 201. 202.

Q Valem hæretici hominem faciant. 286. 287.
Quando ſenſus in tuto eſt, non eſt de verbo laborandum. 214.
Quæſtus uocabulum hæreticis moleſtum. 273. 274.
Quæſtus quid apud Paulum, ibidem.
Quibus machinis cœlum expugnetur, Chriſtus oſtendit. 244.

R Apina felix. 244.
Rationes quæ probant liberum arbitrium. 56. & ſeq.
Regulæ rectè explicandi ſcripturas. 101. & ſeq.
Regula generalis ex qua omnia ſcripturæ loca, in quibus de humanis operibus agitur, rectè intelligi poſſint. 197. 198.
Remunerator & remunerabile correlatiua. 214.
Remunerator Deus. 215.
In remuneratione bonorum duo ſpectantur. 223.
Reparationis humanæ vis. 269.
Res ipſæ de quibus ſermo eſt, exactè cognoſcendæ. 327.
Romana eccleſia fluctibus agitari poteſt, obrui non poteſt. 300.
Romana eccleſia æterna. 300. 301.
Romanæ eccleſię fidem Paulus laudat, ibidem.

S Anctorum hominum moderatio & humilitas. 157.
Satanæ calliditas in euertenda ſcripturæ ueritate. 156.
Satanæ ſtudium per hęreticos. 292.
Scopus hæreticorum notandus, ut eorum impietas intelligi poſſit. 308.
Scyllei canes hæretici in virtutes latrant. 241. & ſeq. in eccleſiam latrant. 301.
Scripturę ſacrę teſtimonia pro libero arbitrio. 20. & ſeq.
Scripturę toti, & non tantum alicui eius parti, fides habenda. 151. 179. 183.
Scripturę nihil de noſtro adiiciendum. 151.
Scripturę ſacrę non ſimul traditę. 134.
Scripturę ſacrę conſuetudo. 157.
Scripturę corrigendę, ſi aduerſariorum opinio de ſeruo arbitrio uera eſſet. 168. 169.
Scripturę ad bona opera nos incitant. 198.
Scripturarum ſententias allegare parum prodeſt, niſi rationis lumen adhibeatur. 307.
Simile a medicis. 16.
Sophiſmata quomodo detegantur. 118. 119. 120. & 149.
Spes unde generatur. 230. & ſeq.
Stoicorum noua paradoxa. 250. 251.
Supercilium Phariſaicum quomodo fugiendum. 299.
Suſannę laus. 36. 37.

T Ὰ πρός τι. 214.
Talentum homini à Deo datum. 272.
Talenti uſus & fructus ibidem & ſeq.
Temeritatis eſt falſum, aut incognitum approbare. 190.
Tertulliani teſtimonium. 84.

Theophili

Theophili Alexandrini teſtimonium. 92.
Theſaurum in cœlo recondere quid ſit. 245.
Timor in bonis numerari non poteſt. 322.
Trahere ſeu cogere in ſcripturis quid ſit. 176. 177.
Trahit ſua quemque voluptas. 177.
V Eritas odium cur pariſt. 203.
Veritas animi pabulum. 316.
Veritatis vis. 4. 138. & 203.
Veritatis lumen qui videre non poſſint. 210.
Vitium uirtutis inimicum. 204.
Virtus ardua iuxta Heſiodum. 181. 182.
Virtutis iter confragoſum. 201.
Virtutis dignitas vnde. 266.
Vitam æternam nos acquirere rectè dicimus. 233.

F I N I S.

Errata.	Correcta.

Prior numerus paginam, alter lineam indicat.

pagina 17. linea 11. & 12. cupiditatas.	lege cupiditates.
pag. 21. lin. 9. appetiui,	l. appetitui.
pag. 29. lin. 9. inclina.	l. inclinaui.
pag. 33. lin. penult. forte:	l. forte.
pag. 34. lin. 18. porteris.	l. portetis.
pag. 70. lin. 23. nulla.	l. multa.
pag. 73. lin. 3. confiliorum.	l. conciliorum.
pag. 81. lin. 15. Pſal. 18.	l. Pſal. 118.
pag. 82. lin. 5. liberè.	l. liberæ.
pag. 88. lin. 3. & 4. improbis malis.	l. improbos, malos.
pag. 89. lin. 26. ſumtum.	l. ſumptum.
pag. 213. lin. 14. in illo eſt.	l. eſt in illo eſt.
pag. 229. lin. 19. inſtrumento.	l. teſtamento.
pag. 251. lin. 1. Soicorum.	l. Stoicorum.
ibidem lin. 4. fuſtulerunt.	l. ſuſtulerunt.
pag. 279. lin. 12. ille.	l. illi.
pag. 288. lin. 25. nec ille	l. nec illi.
pag. 311. lin. 1. accuſari.	l accuſati.
pag. 25. lin. 10. ממח	l. מקח

Cum licentia Superiorum.

REGESTVM.

* ** *** ABCDEFGHIK-
LMNOPQRSTVX.

Omnes ſunt quaterniones, pręter ***
qui eſt duernio.



ROMAE,
*Apud hæredes Antonij Bladij Im-
preſſores Camerales.*
MDLXXVI.

1968

R. SALVAREZZA
RESTAURO
Via Val Sassina, 83
Tel. 899.223